mum locum teneat; | legis: *osculatum est manum meam os meum*, et *Deum nemo usquam vidit;* | *osculamini filium ne irascatur; ditaverunt servos meos divitiae meae, thesauri mei.* | Haec omnia, quae dicta sunt, distinguuntur ab his verbis quae fortasse dicas: | *verberavit Ephraim Manasse*, et *Cham Sem objurgavit,*| eo quod sensus non intelligatur nisi adjungas litteram *l*,| et dicas: *verberavit Ephraem Manassem, Cham Semum.*| Quarto consecutione masculini et feminini; | dicis illi qui libidinosus est id quod in propheta dicitur: | *imminuunt peccata gentes*, et *hac re desiderium cessabit,*| et *corrupuerunt mentes suaves narrationes inimicorum.*| Quinto singulari numero qui sequitur aut plurali, | sicut demonstrationis causa dicis: *dominum servi convi-*

ܗ ܗܘ̈ ܐ̈ ܐ̈ ܗ̈ ܗ̈ ܐ̈ ܐ̈ ܗ

ܕܗܠܐ ܚܡܫܐ ܡܩܕܡ ܡܬ[illegible]ܐ

ܒܕܐܡܪ

ܟܚܡܫܐ ܡܚܕܐ ܒܢܗܐ ܡܥܠܝܢ ܐܢܐ ܐܦ ܒܡܩܕܡ
ܟܟܘܠܗ. ܟܡ ܙܥܘܪܐ . ܐܦ ܡܫܡܫܢܐ. ܡܩܪܝܢ:
ܡܢܝܢ ܡܩܕܡ ܒܡܕܒܪ[illegible]ܐ ܡܫܬܡܫ ܒܡܠܟܘܬ[illegible]ܐ
ܕܟܠܗ. ܒܠܐ ܚܕ[illegible]ܐ ܡܟܝܠ ܒܐܡܪܐ ܡܩܒܠ 50
ܒ ܫܘܝ ܟܡ ܐܬܬ[illegible]ܐ ܡܟܡܪ ܟܬܒܢ ܐܬܬ[illegible]ܐ
ܙܥܘܪܐ . ܡܟܝܠ ܒܐܡܪܐ ܟܩܒܠ ܡܢ ܗ[illegible]ܐ
ܡܝܢ ܙܩܦ ܟܡ ܙܥ ܒܡܠܐ ܡܫܐܠ ܐܦ ܗܘ ܒܡܠܐ

De mensuris et tenoribus lectionum orationis.

Mensurarum septem genera et figuras enarrabo: | superiorem una cum inferiori, sectorem, aequales, | vocantem, admirantem et septimam interrogativam. | Superior in 50
modo cadit in mediam dictionem et orationem consequentem, | si tam longae sunt, ut in legendo spiritum praecludant. | Inferior in media oratione possidet seriem sectionis | et ante finem orationis locum habet. | Et huic (inferiori) accidit etiam ut interroget. | Et par (i.

ܐܘ̈ܪ̈ܝ̈ܐ: ܟܕ ܐ̈ܡ̈ܪ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܫ̈ܟ̈ܚ̈ܐ
ܠ̈ܐ ܢ̈ܟ̈ܠ̈ܐ ܗ̈ܝ ܟ̈ܡ̈ܝ̈ܟ̈ܐ ܕ̈ܐ̈ܢ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܫ̈ܟ̈ܚ̈ܐ 55
ܡ̈ܗ̈ܡ̈ܐ. ܟ̈ܐ ܕ̈ܐ̈ܡ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܫ̈ܟ̈ܚ̈ܐ ܡ̈ܐ ܕ̈ܡ̈ܫ̈ܟ̈ܚ̈ܐ
ܡ̈ܟ̈ܫ̈ܐ ܡ̈ܙ̈ܐ ܟ̈ܡ̈ܫ̈ܐ ܡ̈ܡ̈ܟ̈ܫ̈ܫ̈ܐ ܐ̈ܡ̈ܟ̈ܬ̈ܐ
ܐ̈ܝ ܐ̈ܬ̈ ܡ̈ܙ̈ܐ ܡ̈ܙ̈ܫ̈ܐ ܐ̈ܘ̈ ܢ̈ܫ̈ܡ̈ܙ̈ ܟ̈ܡ̈ܬ̈ܐ
ܐ̈ܘ̈ܡ̈ܟ̈ ܡ̈ܟ̈ܬ̈ܐ ܡ̈ܙ̈ܫ̈ܐ ܟ̈ ܡ̈ܫ̈ܫ̈ܐ
ܡ̈ܡ̈ܫ̈ܐ ܡ̈ܙ̈ܐ ܐ̈ ܐ̈ ܡ̈ܙ̈ܫ̈ܐ ܡ̈ 60
ܐ̈ܬ̈ ܟ̈ ܢ̈ܟ̈ ܟ̈ ܐ̈ ܡ̈ܬ̈ ܐ̈ ܡ̈ ܐ̈ ܡ̈ ܐ̈ ܡ

ܘܐܦ ܐܢܐ ܢܨܠܒ ܠܡܠܟܟܘܢ ܘܐܬܒܥ ܠܡܪܝ̈ܟܘܢ ܠܡ̈ܟܝ̈ܟ̈ܝ̈ܐ
ܠܡ̈ܟ̈ܝ̈ܐ ܢܨܠܒ ܠܡܠܟܟܘܢ ܘܐܬܒܥ ܠܡܪܝ̈ܟܘܢ ܠܡ̈ܟ̈ܝ̈ܐ 65

inferiori verbum interrogationis significatur, | e. gr. 65
regem vestrum crucifigam? et medicum dolorum vestrorum persequar?

ANNOTATIO.

Ad prooemium.

V. 1. Ab *Assemano* bibl. orient. 2. p. 308. in descriptione grammaticae hujus metricae hic versus allegatur.

V. 5. Ad illustrandam significationem vocis ܐܰܚܕ afferam e lexico *Isaaci bar Ali* haec verba: ܐܰܚܕ ܩܠ ܨܕܝ ܡܢ ܨܕܐ = ܨܕܐ (pro ܨܕܝ accuratius scribendum est ܨܕܐ) *rubiginem contraxit a rubigine*, conf. Pesch. Jacob. 5, 3. Vox hebraica שָׁחַת et vox arab. سحت docent, notionem depravandi et perdendi — cui notio rubiginem ducendi proxima est — inesse huic verbo. Est hoc loco prima persona futuri Aphel, quae omissa particula relativa verbo antecedenti est apposita et subjuncta, de qua conjunctione vide *Hoffmanni* grammat. syr. p. 343. a., *Ewald* hebräische Grammatik §. 539. ***Ne sinas me nunc rubiginem contrahere*** h. e. ne committas me perniciei, fac ut rem propositam feliciter agam, ne ignominia afficiar, cf. Ps. 119, 31. אל תבישני.

V. 7. *Hyssopo tuo linguam meam munda* cf. Ps. 51, 9.

V. 9. ܟܘܪܥܐ — in lexico a Michaelis edito formam ܟܘܪܥܐ *peregrinus*, *alienigena* invenis; a rad. ܟܪܥ - עָבַר עָבָה *transire*, *praeterire*, *recedere*, utraque forma adjectiva derivari potest.

V. 10. *Cognitionem veram sermonis.* Grammatica syriaca, cujus auctor *Jacobus Edessenus*, inscripta erat ܣܗܕܘܬܐ ܕܡܠܬܐ ܥܠ (*Assemani bibl. orient.* p. 477 et 475.), cujus inscriptionis memor esse videtur *Bar Hebraeus* (cf. v. 29.) iisdem verbis grammaticam suam insigniens. ـــــــــــ — de hac forma plurali vide *Amirae* grammat. p. 81., *Hoffmanni* grammat. p. 266. not. 7 et 8.

V. 12 et 13. In definitione sermonis explicatione indigere videntur verba difficiliora *secundum convenientiam non secundum naturam*, quae in textu syriaco proprie sonant *in perfectione non in natura.* Ex iis, quae *Amira* in grammatica sua p. 58 sq. de definitionibus nominis e grammaticis syriacis repetitis dicit, appareret, haec verba definitioni sermonis addita esse, „ut excludantur voces seu soni naturales, qui nihil perfecte significant sed potius aliquam animalis passionem indicant, et orationis partes eae, quae per se nihil significant, nisi cum aliis orationis partibus connectantur.“ Sermo igitur secundum definitionem nostram est enunciatio, cui inest sententia, quae intelligitur modo perfecto et certo, quia usu et convenientia significationem perspicuam accepit. Opponitur iis sonis iisque vocibus, quae quidem significant aliquid nativa earum vi et quasi naturali qualitate, sed ut certam et perfectam et ab omnibus eadem ratione intelligendam sententiam non praebeant. Conf. quae *Ibn Malik* in Alfijja ed. *de Sacy* v. 8 sqq. de significatione vocum كلام et كلمة exposuit.

V. 14. Tres partes orationis *nomen, conjunctio, verbum*, a grammat. arabicis اسم, حرف, فعل, dictae; cf. e. gr. Alfijja v. 8 sqq.

V. 16. *Quattuor sermonis partes*, quas Bar Hebraeus nominibus et conjunctionibus annumerat, sunt ܫܡܗ ܕܟܝ ܐܦ *pronomen*, ܫܡܗ ܕܟܝ *verbum nominis*, ܫܡܗ ܕܟܝ ܐܦ *adverbium* et ܫܡܗ ܕܡܦܠ ܐܦ *praepositio*, et quidem pronomen, verbum nominis et adverbium *nomini*,

praepositiones autem conjunctionibus annumerat, cf. c. 1, v. 5—9.

Quas posuerunt veteres in exemplaribus. De diverso partium orationis numero vide *Amira* grammat. p. 56 sq.. *Hoffmann* grammat. p. 29. 152 sqq. Sine dubio Syrorum doctores vestigia Graecorum ut in permultis rebus ita etiam in grammatica adornanda prementes in septem partes diviserunt orationem, quam ob causam haec divisio prior et antiquior esse videtur. Postea, quum Graecorum auctoritas doctrinae et eruditis Arabum libris cessisset, ex Arabum more tres tantum partes statuerunt. Sed antiquior illa divisio remanebat permultis Grammaticis, quorum nonnulli septem partibus octavam, videlicet interjectionem, addiderunt. *In exemplaribus* i. e. in libris grammaticae praecepta tradentibus.

V. 18. *In quattuor igitur capita;* nam ad tria capita, quae de tribus orationis partibus agunt, accedit caput quartum de oratione composita. In grammat. majore *Bar Hebraei* ܣܦܪ ܫܘܦܪ̈ *liber splendorum* inscripta, etiam quattuor inveniuntur capita, sed quartum de *verbo nominis* (ܫܡܐ ܡܠܬܐ h. e. de praedicato) agit, cf. *Assemani* bibl. orient. II. p. 307.

V. 21. *Syriaco-Edessenus;* cf. *Hoffmann* grammat. p. 14 sqq. et dissertationem, quam nuperrime *de dialectorum linguae syriacae reliquiis* scripsit *Dr. F. Larsow* (in programm. gymnasii Berolinensis „*zum grauen Kloster*“ 1841.) p. 6 sqq. *Larsow* p. 7. dicit: „ܣܘܪܝܝܐ ad puriorem pronuntiationem Edessenam referendum est, nec ullo pacto ad dialectum Edessenorum, siquidem ܣܘܪܝܝܐ tantum sermonem, eloquium, pronuntiandi rationem declarat, et dialectum proprie significat ܠܫܢܐ lingua, dialectus (لغة) ut *γλῶσσα* i. q. *διάλεκτος*.“ Quae minus caute dicta sunt. Nam e titulo ܣܘܪܝܝܐ ܠܐ, quem *Jacobus Edessenus* grammaticae suae proposuit et quem noster v. 10. repetivit, et e definitione v. 12 et 13., apparet, ܣܘܪܝܝܐ ipsam significare linguam,

quam significationem cur nostro loco rejiciamus necesse sit, non video. Nam linguam vel dialectum eam, quam *Bar Hebraeus* hist. Dynastt. p. 16. et in *Assemani* bibl. or. I. p. 476. linguam Aramaeam (الارمايية), Edessenis, Harranensibus et Syriae exterioris (nimirum Mesopotamiae) incolis propriam, nominat, et quam elegantissimam esse confirmat, ab ipsis Edessenis nomine desumpto *linguam Edessenam* aut *Syriaco-Edessenam* quam facillime dici posse, quisque concedet. Censeo igitur, *Bar Hebraeum* eam linguam vel dialectum, quam locis supra allatis اللغة الارمايية nominat, hoc nostro loco nominare *linguam Syriaco-Edessenam.* Ad quam sententiam firmandam haec quoque faciunt: de numero et pronuntiatione vocalium nostro loco *B. H.* agit, et licet dialecti linguae syriacae non tantum vocalium numero et pronuntiatione sed etiam aliis rebus, e. gr. diversis verbis, inter se distinctae fuerint, vocalium discrepantia tamen dialectorum commemorandarum occasionem obtulit idoneam, qua usus est *Bar Hebraeus* etiam in scholiis ad hanc suam grammaticam metricam; nam in his ad eum locum, quo de varietate vocalium loquitur, hoc est ad nostrum locum, fusius de dialectis linguae syriacae disseruit, et quidem iisdem fere verbis, quae in locis supra citatis occurrunt, cf. *Assemani* bibl. or. 1. p. 476.

V. 22. Vox graeca προθέσμιοι cum praepositione syriaca ـے, syllaba *oi* e Syrorum more in *u* mutata, quinque vocales *a o e i u* complectitur. Vocalium harum figuras, quae ad similitudinem vocalium graecarum formatae sunt, invenisse dicitur *Theophilus Edessenus Maronita,* qui mortuus est anno fugae 169, p. Chr. 791, de qua re vide *Assemanum* bibl. or. 1. p. 64. De Theophilo Edesseno vide *Assem.* bibl. or. 1. p. 521 sq. 3, 2. p. CCCLXXVIII.

V. 27. *Admirabiles orientales* sunt incolae Chaldaeae, Assyriae et Mesopotamiae partis, *occidentales*

vero incolae Syriae (ciseuphratensis), Palaestinae et Mesopotamiae partis. Illorum plurimi Nestorianam, horum plurimi Jacobitanam confessi sunt doctrinam. Qua ex re Nestoriani orientales, Jacobitae occidentales dicuntur. Sed hic usus loquendi, quamvis vulgaris, non est constans. Nam Bar Hebraeus eos Jacobitas, qui in Assyria et Mesopotamia Maphriani potestati subjecti sunt, *orientales*, illos vero, qui in Syria (ciseuphratensi) et Palaestina sub jurisdictione Patriarchae vivunt, *occidentales* nominat, cf. *Assemani* bibl. or. 2. p. 252. 305. 313. In iis terris, quas *orientales*, sive Nestoriani sive Jacobitae tenuerunt, *Judaei* quoque permulti habitaverunt jam inde ab antiquis temporibus, quorum collegia et academiae clarissimae eruditioni hebraicae domicilium ac sedem praebuerunt. Linguam horum Judaeorum, quam chaldaicam dicere solemus, e sat multis libris in hisce regionibus scriptis cognoscere possumus. Haec lingua quin non Judaeis tantum, sed etiam Christianis in his terris degentibus vernacula fuerit non est dubium. Quae igitur de differentia sermonis orientalium et occidentalium a Bar Hebraeo dicuntur, collata lingua Chaldaica, qualis in scriptis Judaeorum occurrit, dijudicare possumus.

V. 28. Nam Nestoriani, qui hoc loco *orientalium* nomine designantur, vocalibus graecis, quas Syri ceteri omnes amplexi sunt, non utebantur, cf. *Assemani* bibl. or. 1. p. 64.

V. 29. De *Jacobo episcopo Edesseno* conferas *Assemani* bibl. or. 1, p. 468—494. *Assemanus* p. 475. nostrum *Bar Hebraei* locum e cod. Syr. Vat. 33. affert, ibique commemorat, *Bar Hebraeum* in grammatica sua magna, cui titulus „*liber splendorum*“ est, eundem *Jacobum* vocare ܝܥܩܒ et hoc solo titulo *Edessenum Jacobum* intelligere. Quot vocales et Nestoriani numeraverint et Jacobus Edessenus commemoraverit, hoc loco non dicitur, sed colligere possumus e verbis, quae e Bar Hebraei grammaticae magnae partis 4. cap. 2. sumpsit quibusque sua addidit *Assemanus* bibl. or. 1. p. 477., eos

septem vocales numerasse. Haec verba ita se habent: „Paulus quidem Antiochenus, Presbyter Syrus, sciens, Graecorum quoque mancam ab initio scripturam fuisse, quum decem et septem litteras dumtaxat primum habuerint; deinde eos alias litteras, vel unam, vel duas simul paulatim adjecisse, donec perfectum viginti et quattuor litterarum numerum compleverint; rogavit religiosissimum Jacobum Edessenum (ܝܥܩܘܒ ܐܘܪܗܝ), ut et ipse quae in Syrorum charactere desiderabantur, suppleret. At religiosissimus ei respondit: complures alii ante meam tuamque aetatem id peroptarunt: verumtamen, ne perirent exarati isto imperfecto charactere codices, a re tam utili destitere.“ *Assemanus* addit: „septem tamen novas vocalium figuras misit Jacobus ad Paulum, quarum formam vide apud eundem Bar Hebraeum loco citato.“ Utinam has formas earumque significationem, si revera sunt eae, quas Jacobus Edessenus invenit vel ad usum Syrorum accommodavit, *Assemanus* nobiscum communicavisset, ut comparatio cum Hebraeorum punctis vocalibus institui posset! Quae comparatio e mea sententia maximi foret momenti in perscrutanda et dijudicanda vocalium serie Hebraeorum.

V. 30. ܫܥܐ, apud Chaldaeos (שַׁעְיָא, שַׁעְרָא), de qua voce conferas dissertationem „de sermonis chaldaicae proprietate“, quam scripsit *Franciscus Dietrich,* seminarii Philippini (Marburgensis) major, Lips. 1838. p. 13. In versione marginali ܫܥܐ redditur *momentum*, quod affero rationem habens eorum, quae *Michaelis* in lexico 1. p. 342. scripsit.

ܐܝܬܘܬܝ = אִיתּוּתִי.

ܡܠܟܘܬܝ = מַלְכוּתִי.

V. 31. ܢܨܘ vox formae graecae, quae e terminatione *a* cognoscitur, ut videtur nomen proprium loci, in versione marginali *Nysa*. Pro ܢܨܘ, ܟܢܘ legendum videtur ܢܨܘ, ܟܢܘ, sed nihil mutavi. Quomodo *ori-*

entales no vocis *nosa* et *non* vocis *Zenon* pronuntiaverint, non dicitur; sine dubio cum 'Ezozo legerunt נוסא, זינון.

V. 32. ܐܝܪܐ = ܥܝܪܐ, quod fortasse etiam ܥܐܪܐ scriptum est.

V. 33. *Vocalium Petocho et Zeqofo in earum lingua non est differentia.* Quibus verbis breviter attingitur discrepantia illa notissima, secundum quam Syri occidentales per *o* (ܘ) scribunt, quod orientales (Chaldaei) per *a* (ܐ) legere solent. Haec discrepantia differentiam vocalium *a* et *o* non omnino tollit (nam Bar Hebraeus ipse v. 30. dixit in Chaldaeorum lingua inveniri vocalem *o* e Diphthongo *au* ortam), sed tamen hoc efficit, ut vocalem Zeqofo (quae Zaqafa ab orientalibus dicitur) eodem modo quo vocalem Petocho (quae Patacha dicitur) *a* proferant non *o*. Accuratius igitur dicendum est, orientales duplici usos fuisse vocali *a*, Zaqafa et Patacha, vocalem *o* autem alio nomine et figura designasse. De qua re vide *Assemanum* bibl. or. III. 2. p. CCCLXXIX.

V. 34. *Puncta quidem permulta ponunt* etc. Cogitare possumus de subtili signorum vocalium dispositione, quali Judaei in scriptis biblicis aliisque usi sunt, quae sine dubio a doctis Judaeis in iis, quas *orientales Syri* tenuerunt regionibus, non quidem inventa sed exculta et ad linguam hebraicam accommodata est. Hanc eandem sive persimilem vocalium designationem et dispositionem Syris notam fuisse, imo a Syris ad Hebraeos propagatam esse, e permultis colligere licet testimoniis. „Una cum antiquis Syrorum characteribus veterem punctandi morem conservant (Syri orientales, Nestoriani); vocalium scilicet defectum per punctula sive infra sive supra litteras apposita supplendi; ut videre est in Chaldaeorum Nestorianorum manuscriptis." *Assemanus* bibl. or. III. 2. p. CCCLXXVIII. Nestoriani Graecorum vocalium signis non utebantur (vide quae ad vers. 28. notavi), Jacobitae atque Maronitae promiscue Graecis vo-

calibus et punctulis Nestorianorum utebantur, ita tamen ut vocales graecas saepius collocarent. Qua ex re fieri potuit ut Bar Hebraeus subtilem illam Nestorianorum vocalium dispositionem alienam et praeter rem haberet, *puncta quidem permulta ponunt sed in sermone nunquam distinguunt.*

V. 35—38. Ex vocibus exempli gratia verss. 37 et 38. allatis apparet, verba *litteram eam postquam adstringunt* significare litteram eam, quam sequitur littera syllabam terminans. Dicit igitur *Bar Hebraeus* v. 35., ex *orientalium* more et praecepto in syllaba composita sive clausa vocalem *a* (Patacham) poni, sed v. 36. orientales ipsos ab hoc more discedere et hoc praeceptum negligere, quod ut exemplis confirmet, affert voces ܐܸܠܳܗܳ et ܐܸܠܳܗܳ etc., quarum vocum alteram orientales cum Patacha אֱרָעָא pronuntiant, alteram cum Zaqafa (quae vocalis iis, ut jam antea dictum, non *o* sed *a* auditur) אֱרָעָא; in syllabis igitur, ut videtur, eodem modo formatis semel Patacha, deinde Zaqafa ponunt. Quae profecto *Bar Hebraeus* non dixisset, si syllabam compositam, qualis in אֱרָעָא est, et syllabam apertam, qualis in אֱרָעָא est, distinxisset, nam in vocibus אֱרָעָא, שְׁבָעָא, תְּרָעָא etc. syllaba prima non est אֱר, שְׁב, תְּר, sed א, שְׁ, תְּ, et regula v. 35. commemorata Zaqafa in his vocibus posita non abrogatur. *Bar Hebraeus* vocalium dispositionem, qua orientales usi sunt, et syllabarum distinctionem, ex qua positio vocalium pendet, non intellexit. Quam syllabarum naturam, e qua positio vocalis Patacha pendet, *Amira, ceteri Syrorum grammatici* et *Assemanus* nec ipsi cognoverunt, qui contendunt, apud Chaldaeos vocalem Patacham id effecisse, ut duplicaretur sequens consonans. *Amira* grammat., praeludia, de linguae chaldaicae sive syriacae nominibus ac discrimine, dicit: „Chaldaei in legendo duplicant illam vocis litteram, quam praecedit alia affecta ـّ, ut ܐܸܠܳܗܳ *allaha*, ܫܸܡܡܳܝܳ *schemajja*, ܩܸܕܕܺܝܫܳ *qaddischa.* Contra vero Syri prae-

dicta nomina legunt litteras *l*, *j*, *d* non duplicantes.“ *Assemanus* bibl. or. III, 2. p. CCCLXXIX: „Orientales litteras geminant quibus Zaqafa seu Patacha apposita est, si praecedant litterae motae vocali *a* seu *i*, quas Patacham et Rvassam nuncupant. Ita proferunt ܐܲܠܳܗܳܐ *Allaha*, ܐܶܬܩܲܕܲܫ *etqaddas*, *qaddischa*. Ubi occidentales nullibi litteras geminant, sed pronuntiant *Aloho*, *etqadas*, *qadischa*.“

AD CAPUT PRIMUM.

V. 1 et 2. *Amira* in grammat. p. 57 et 58. dijudicat definitiones nominis, quas *Elias*, *Estunojus* et *auctor* gramm. syr. arabico sermone scriptae maxima ex parte cum nostra definitione consentientes proposuerunt. Verbis ܡܠܬܐ ܕܡܫܡܥ in *Eliae* definitione respondent haec: ـــــــــ ما لا جزء له مع انفصاله *cujus pars nihil significat cum separatur*; in *grammatica* arab. sermone scripta haec: ما لا جزء له مع انفصاله *vox a qua pars cum separatur nihil significat*. Vox igitur simplex dicitur nomen, quia non compositum est e singulis vocibus per se aliquid significantibus. — ܠܐ ܙܒܢ *quae sine tempore est*, quibus verbis differentia inter nomen et verbum constituitur. Adsunt in definitionibus *Eliae* et *auctoris* gr. arab. serm. scriptae, in definitione *Estunoji* desunt, quamobrem *Amira* imperfectam eam et diminutam nuncupat. — *Quae possidet mentem in se ipsa*, *Elias* ita: ܕܡܫܡܥ ܒܕܝܢܗ ܫܠܡ *significativa in perfectione*; *Estunojus*: ما دل على معنى او فعل *quae significat rem aliquam vel actionem*; *auctor* gr. arab.

serm. scriptae ut Elias. De significatione vocis ܩܕܡܝܐ cf. notam ad prooemii verss. 12 et 13.

V. 4. De substantivo vide v. 10—24., de pronomine v. 25—29., de adverbio v. 30—40., de adjectivo v. 41—44.

V. 9. *De hac re ne turberis.* Quum non levis fuerit disceptatio inter grammaticos de divisione et definitione partium orationis (cf. *Amira* 56 sq. *Hoffmann* p. 152.), *Bar Hebraeus,* remota omni disputandi occasione, sententiam propositam satis firmam esse ac stabilitam et sufficere posse his verbis declarat.

V. 10—24. *Amira* p. 60 sq. loquitur de iis, quae nomini generaliter accidunt, et his annumerat praeter genus, speciem, numerum, figuram, qualitatem et casus, quae *Bar Hebraeus* ea, quae proxime nomini accidunt, enumerans hoc loco tantum commemorat, *lenitatem* et *asperitatem* ܪܟܝܟܘܬܐ ܩܫܝܐ, *diminutionem* ܙܥܘܪܝܐ, *contractionem* ܟܘܠܝܐ, *relationem* ܢܝܣܒܬܐ vel ܢܝܣܒ, ܕܝܠܝ, *consecutionem seu adhaesionem* ܕܒܩܬܐ. De quibus *Bar Hebraeus* eodem fere modo quo *Amira* in singulis particulis disserit, de lenitate et asperitate v. 282—307., de diminutione v. 129—135., de contractione v. 136—150., de relatione et de consecutione v. 219—240. Sed multas praeterea particulas, in quibus ea, quae ad nominum doctrinam pertinent, pertractat, *Bar Hebraeus* statuit, quas *Amira* vel praetermisit, vel in particulis iis, quas modo enumeravimus, breviter attigit.

V. 12 et 13. Vide infra v. 62—77. v. 118—128. *Amira* tertium genus quod ܡܕܡܝ dicitur i. e. *medium, commune,* commemorat, quod quia re vera tertium genus non constituit recte a *Bar Hebraeo* omittitur. Exempli gratia afferuntur nomen masculinum et nomen femininum, ܐܝܬܐ et ܐܝܬ utrumque in sing. et plur. Voce ܐܝܬ, quae, licet feminina, pluralis mascul. formam habet hanc ܐܝܬ (cf. hebr. נְגִיִם; *Amira* p. 93.), similis

exitus versus servatur, quamobrem hanc vocem exempli gratia proposuisse videtur *Bar Hebraeus*.

V. 14 et 15. Vide infra v. 164—183. ܐܝܕܥܐ *species*, a grammaticis Syris etiam dicta ܐܝܕܥܘܬܐ *domesticatio* (*Amira* p. 61.), significat rationem quae intercedit inter nomen simplex et adjectiva ab hoc nomine derivata. *Species prima* est nomen simplex, quod dicitur ܡܒܝܬܢܐ *domum faciens*, nam quia propinquitas adjectivorum derivatorum eo nititur, domum quasi perhibet, ex qua egrediuntur et in quam revertuntur; vel ܥܠܬܐ *caussa*, quia caussa est et fundamentum adjectivv. derivv.; vel denique ܐܝܕܐ *idea, prototypus*. Exemplum speciei primae est *coelum*. Species altera et tertia, oppositae speciei primae, sunt ܡܒܝܬܢܘܬܐ, *domesticatae* ut ita dicam. *Secunda* dicitur ܥܠܬܐ *caussata*, vel ܡܪܟܒܐ *composita* quia e voce simplice syllaba addita orta est, vel ܐܝܕܐ ܩܪܝܒܐ *idealis prima*. Exemplum speciei secundae est *coelestis*. *Tertia* dicitur ܥܠܬܢܐ quasi *magis, remotius caussata*, vel ܡܢ ܡܪܟܒܐ *magis composita*, vel ܐܝܕܐ ܪܚܝܩܐ *idealis secunda*. Exemplum speciei tertiae est *coelestinus*. — Quibus nominibus ipsa res, ad quam significandam a grammaticis sunt inventa, fit perspicua; cf. *Amira* p. 104 sqq.

V. 16 et 17. Vide infra v. 98—119.

V. 18 et 19. De figuris hoc tantum loco agit *B. H.* ܐܣܟܝܡܐ = σχῆμα, *figura, habitus* vocis. Exemplum figurae compositae est *Johuochoz*, nomen notum regum duorum Israelis et Judae יהואחז. Quae figura composita est e duabus vocibus, e ܝܗܘ = יהו = יְהוָה et ܐܚܙ = אָחַז, quas ipsas voces *Bar Hebraeus* affert, ut exhibeat exempla figurae simplicis. Quod offendit, quum neque *Johu* neque *ochoz* sint voces syriacae. Sed puto consulto *Bar Hebraeum* sibi sumpsisse exempli caussa vocem, compositam quidem, at e vocibus iis, quae in

lingua syriaca significationem nullam praebeant. Nam figurae compositae exempla ea, quae *Amira* p. 114. proposuit, ut ܡܠܬܐ ܩܠܐ *vox* etc., repugnant definitioni nominis, secundum quam nomen est *vox simplex cujus partes cum separantur nihil significant*, cf. v. 1 et 2.

V. 20 et 22. De qualitatibus hoc tantum loco agit *Bar Hebraeus*. Qualitates sunt

ܦܥܠܢܘܬܐ actio,
ܐܬܦܥܠܘܬܐ passio,
ܩܢܝܢܘܬܐ possessio,
ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܟܝܢܐ demonstratio naturae.

Nomen, cui qualitas actionis accidit, est *agens*, cui qualitas passionis, est *patiens* etc. Haec nomina *qualia* sint hoc loco enumerantur, non qualitates. De nominibus agentibus et patientibus, quae explicatione non indigent, nihil dicam. Nomina possidentia sunt ea, quae aliquam qualitatem, sive spiritualem, sive corpoream significant, e. gr. *justus* et *malus*. Notandum est, substantivis abstractis ab his nominibus derivatis horum nominum qualitatem remanere, e. gr. ܟܬܒܐ *scriptor* et ܟܬܒܘܬܐ *scriptio*, ܡܫܠܡܢܐ *proditor* et ܡܫܠܡܢܘܬܐ *traditio* sunt nomina agentia, ܩܛܝܠ *occisus* et ܩܛܝܠܘܬܐ *occisio* sunt nomina patientia; ܛܒ *bonus* et ܛܒܘܬܐ *bonitas* sunt nomina possidentia. Harum trium qualitatum nomina non quidem participia proprie sic dicta, attamen adjectiva esse verbalia transitivae, passivae et intransitivae significationis (quibus nomina abstracta ab iis derivata annumerantur), quisque videt. Plane alia ratio est nominum quartae qualitatis, quae, rerum naturam et *substantiam* indicantia, *substantiva* sunt proprie sic dicta, etiam in lingua syriaca, nam ܟܝܢܐ vel ܩܝܡܐ ܕܟܝܢܐ est natura, *substantia* vel *nomen substantivum*. Exempla hujus quartae qualitatis sunt *vir*, *equus*, *lapis*, *pannus* etc. Cf. *Amirae* grammat. p. 115 sqq.

V. 23 et 24. Vide infra v. 246—280. Casus nominum revera non novit lingua syriaca. Eas rationes et conditiones nominum, quas in aliis linguis casus obliqui significant, litterae praefixae ܠ, ܕ, ܒ, saepissime innuunt et quasi per ambitum enuntiant, ita ut quodammodo nomina cum iis conjuncta cum casibus nominum Graecorum, aliarum gentium comparari possint. *Bar Hebraeus* quartum praefixum iis annumerat, copulam videlicet ܘ, quod ad formam et praefigendi modum simillimum est tribus praefixis illis. Qua in re *Amira*, ut hunc tantum afferam, aliam sententiam proposuit, qui postulans ut casus ad analogiam casuum Graecorum in lingua Syriaca reperiantur hos enumerat:

Nominat.: nomen simplex.

Genit.: nomen conjunct. cum ܕ.

Dativ.: nomen conjunct. cum ܠ.

Acc.: nomen simplex sive conjunct. cum ܠ.

Vocat.: nomen conjunct. cum ܐ.

Ablat.: nomen conjunct. cum ܒ vel ܡܢ.

Quae omnis de casibus doctrina non ex ingenio linguae Syriacae originem duxit, sed e Graecorum libris grammaticis repetita est.

V. 25. *Quattuor e rebus sex supra commemoratis.* *Supra* v. 10 et 11. *Sex:* genus, species, numerus, figura, qualitas, casus. Quattuor rationes, quae pronomini tribuuntur, sunt: genus, figura, personae et numerus. Quarum tres supra commemoratae sunt, quarta, videlicet personae, non item. Non constituo, utrum personas pronominis sive cum speciebus sive cum qualitatibus nominis *Bar Hebraeus* contulerit, an minus caute de sex supra commemoratis rebus, quarum quattuor ad pronomen pertinerent, locutus sit.

V. 27. Figura simplex est pronomen, quod vocibus non affigitur, quamobrem etiam ܚܢܢ et ܗܘ ܕܝܢ *separatum* dicitur, figura composita est pronomen affixum,

quamobrem etiam ܬܲܒܥܵܐ *sequens* seu *adhaerens* dicitur. *Amira* grammat. p. 238.

V. 30. In vocibus *bene dictum est, bene* verbum accuratius determinat et ad verbum pertinet, quamobrem *adhaerens, consequens, pertinens,* videlicet ad verbum, dicitur. ܬܲܒܥܵܐ igitur eandem fere significationem praebet ac ܡܶܠܬܵܐ i. e. *vox* (*Amira* p. 430.) *quae supra verba cadit* (verbis apponitur) *eorumque significationem explicat ac determinat.*

V. 32 et 33. adverbia *temporalia* ܐܲܬܪܵܐ, v. 34. *localia* ܐܲܝܟܲܢܵܐ enumerantur. *Amira p.* 432.

V. 35 et 36. Voces ܫܘܿܚܪܵܢ̈ܵܐ et ܫܘܿܥܒܵܕ̈ܵܐ quae ut ܐܲܬܪܵܐ v. 32. et ܐܲܝܟܲܢܵܐ v. 34. e verbo ܥܒܲܕ v. 32. pendent, docent, *Bar Hebraeum* adverbia agentia et patientia ܫܘܿܚܪܵܢ̈ܵܐ et ܫܘܿܥܒܵܕ̈ܵܐ statuere, quae a grammaticis ceteris, quod equidem sciam, non statuuntur. *Amira* adverbia temporalia, localia, optativa, vocativa, interrogativa, positiva, confirmativa, negativa (vide *Hoffmanni* grammat. p. 279.) commemorat, de adverbiis agentibus et patientibus nil dixit. Sed ad tam multa ejusmodi genera adverbiorum etiam genus adverbiorum agentium et patientium accedere potest sine omni difficultate, nam eodem modo quo verba abstracta a nominibus agentibus et patientibus derivata (cf. notam ad v. 24.) agentia et patientia nuncupantur, etiam adverbia ab iis derivata originis caussa agentia et patientia dici possunt. Quamobrem hoc non offendit. Verba explicationis caussa addita difficiliora sunt; nam quid ܐܲܡܪ̈ܵܐ et ܐܲܪܓ̈ܵܐ sibi velint in dubio, ut videtur, esse potest. Sed primo obtutu voces ܥܒܘܿܕܵܐ et ܡܥܒܕܵܐ, quae a nomine agenti ܥܒܘܿܕ et a nomine patienti ܡܥܒܕ derivatae sunt, cognoscuntur tanquam adverbia agentia et patientia, et has tantum voces exempli caussa propositas esse concedamus necesse est. Quae quum ita sint, verba ܐܲܡܪ̈ܵܐ et

ut versum compleant similemque exitum praebeant apposita sunt verbis et: „nam dicis *poqudoit* et canis", „quia dicitur peqidoit et canitur", h. e. adverbia hujus generis sunt statuenda quia in soluta et in composita oratione reperiuntur.

V. 37. *Quomodo ponatur;* haec verba eodem modo ac *tempus* v. 32., *locus* v. 34. etc. e verbo ... v. 32. pendent: *indicas τὸ quomodo ponatur* sc. verbum. *Ea qua par est ratione,* quomodo aptum est et convenit, nam quum permultae rationes cogitari possint, quibus verbum adverbiis accuratius definitur, has varias rationes *Bar Hebraeus* enumerare non vult. Exempli caussa afferuntur adverbia *nude, utinam* (quod adverbium ab *Amira* p. 433. adverbiis optativis annumeratur), denique substantivum *jejunium,* quod in adverbii locum substitutum et verbi accuratioris definitionis caussa subjunctum est Daniel 6, 19: .

V. 38. *Quantum;* adverbia *quantitatis Amira* p. 435. commemorat.

V. 41—44. est adjectivum, non quodvis sine discrimine, sed adjectivum praedicati locum tenens. Tale adjectivum formam quidem habet nominis, simul autem ad-significationem verbi quam proxime accedit, nominis igitur et verbi est quasi particeps, quamobrem *verbum nominis* nuncupatur. Quod ut recte intelligatur, definitionem ab *Amira* in grammat. sua p. 425. traditam afferam: *verbum nominis est nomen contractum, ferens sensum verbi non determinati* *). *Contractum* dicitur ut distinguatur a nominibus non contractis i. e. a nominibus in statu emphatico, quem Gram-

*) Quam definitionem etiam invenis in *Hoffmanni* grammat. p. 177. not. 1.

matici vocant, positis. Nam quia praedicati locum tenet, verbum nominis semper in statu absoluto invenitur, quem *Bar Hebraeus* etiam v. 229. abscissionem et contractionem finis vocis nominat. *Sensum verbi non determinati ferens* i. e. significationem verbi quidem habens, sed non verbi in tempore finito posito (determinati), nam adjectivo praedicato discrimina temporum eorumque varietas non designantur.

V. 41. ܡܟܬܝ pro ܡܟܬܝܢ, ut exitus secundi membri congruat cum ܡܟ in priore membro.

V. 44. *Personae* verbo nominis tribuuntur, nam pronomina personalia si cum nominibus verbi, quae praedicati locum semper tenent, conjunguntur, iis postponuntur, imo loquendo et scribendo contrahuntur, ita ut flexionem quandam efficiant verbalem, et novam quasi temporis formam, cui significatio praesentis est, constituant. Quae conjunctio verbi nominis cum pronomine revera conjunctio est subjecti cum praedicato omissa copula; quamobrem omnia adjectiva praedicati locum tenentia hanc conjunctionem inire possunt, non tantum adjectiva verbalia sive participia. Ad quod est attendendum. Quae *Hoffmannus* in grammat. sua p. 177. de participiis quibus Syri pro praesente uterentur disputavit, subtiliorem requirunt definitionem.

ܡܫܟܚ, in st. emph. ܡܫܟܚܐ et ܐܝܩܨ sunt adjectiva formae intensivae = חַטָּא, צַדִּיק: ܙܕܝܩ adjectivum terminatione ـܝ formatum.

V. 45. Iterum ad nomen flectit oratio, postquam v. 25—44. de pronomine, adverbio et nomine verbi non quidem extra ordinem disseruit *Bar Hebraeus*, attamen ita ut expositionem doctrinae nominis interrumperet.

V. 47—61. Distinguuntur

1) v. 47 et 48. Nomina quae tantum in singulari numero reperiuntur. *Amira* p. 98.

2) v. 49 et 50. Nomina quae tantum in numero plurali reperiuntur, quibus, licet singularis sint formae,

puncta pluralem numerum significantia adduntur, cf. v. 108—117. *Amira* p. 95.

3) v. 51—56. Nomina ejusdem formae in numero singulari et plurali, quibus, si in numero plurali inveniuntur, puncta adduntur. Huc pertinent secundum grammat. syros duae tantum voces, ܐܲܒ̣ܗ̣ܵܐ et ܐܲܒ̣ܗ̣ܵܵ. *Amira* p. 95. v. 55. Matth. 5, 34. v. 56. Ps. 102, 26.

4) v. 57—61. Nomina, quae in singulari et plurali diversae sunt formae. Nomina masculina (de his hoc loco tantum loquitur *Bar Hebraeus*) in numero plurali

a) v. 58. terminationem singul. ـܵ mutant in ـܵ̈, quae terminatio st. emph. plur. contracta est e terminatione ـ֣ ـ֣ ـ֣

vide apud *Amiram* grammat. p. 78.); licet nomina hujus formae plurima ex communi praecepto etiam in plurali femininam habeant terminationem, e. gr. ܐܰܡ̈ܝܳܬ, quam vocem *Amira* p. 84. una cum aliis multis enumerat.

V. 62—77. Cf. *Amirae* grammat. lib. II. c. IV. p. 61 sqq. Distinguuntur:

1) v. 62 et 63. nomina masculini generis, quae nunquam feminini sunt generis.
2) v. 64—66. nomina feminini generis, quae nunquam masculini sunt generis. V. 66. cf. Matth. 21, 19.
3) v. 67—71. nomina quae utriusque generis sunt, quorum tria *sol*, *camelus* et *monasterium* afferuntur. Reliqua vide in grammat. *Amirae* p. 72 et 73, *Hoffmanni* p. 235. V. 70. cf. Genesis 24, 20.
4) v. 72—77. nomen ܐܰܒ̈ܪܳܗܳܡ denique utriusque est generis et numeri. V. 75. cf. Matth. 5, 34. et supra v. 55.

V. 78—87. Notandum est, ܫܽܘܡ̈ܳܗ *denominationem* distinguendam esse ab ܡܟ̈ܝ ܡܕ̈ܡ *praedicato* v. 41—44. *Denominatio* est adjectivum, quod accedit ad substantivum idque definit et quasi denominat; substantivum cum adjectivo conjunctum est *definitum*, *denominatum* ܡ̈ܕ̈ܡܫ̈ܢܳܐ. Hoc autem substantivo cum adjectivo conjuncto oratio non absolvitur, nam verba *vir tristis*, *mare rubrum* sententiam perfectam non praebent. Praedicatum — h. l. dicitur ܡ̈ܫ̈ܬ̈ܡ̈ܫ̈ܐ — accedat necesse est: *mare rubrum est profundum* etc. Versio v. 79. non satis est dilucida; accuratius sic lege; *et si loquens hoc*, videlicet substantivum cum adjectivo conjunctum, *commemorat*, eo non est absoluta oratio.— V. 78. *in modo* i. e. in genere et numero cf. v. 83—87. V. 87. ܫ̈ܦ̈ܪ̈ܐ (sic) proprie est aequalitas, forma concinna et congrua, pulchritudo.

V. 88—97. Inscriptioni *de demonstratione* nominum in margine codicis adscripta sunt litteris syriacis verba

arabica haec: باب اسما المعرفة وهى كل اسم بصورة تَوَحُّد من جنسه وهى على خمس اقسام الأَعْلَام واشارةٍ واضافة ومُضْمَر hoc est: caput nominum determinationis; huc pertinent omnia nomina quae talis sunt conditionis ut sui generis sint unica, quod quinque modis fieri potest: distinctione nominum propriorum, demonstratione, conjunctione nominum, pronomine.

De ܫܡܗܝܟܕܗ nominum in grammatica *Amirae* ceterisque quos inspicere licuit libris grammatt. nihil inveni. Et profecto de re leviori et nullius fere momenti in cognoscenda lingua syriaca h. l. agit B. H., grammaticorum arabicorum respiciens definitiones et praecepta de nominibus المعرفة. Vocem ܠܥܘܠ v. 88. quomodo latino sermone redderem ambiguus fui eamque inconsiderate per *voces demonstrabiles* reddidi. E contextu apparet ܠܥܘܠ eas dici voces, quae personas vel res ita denotent et insigniant, ut cum aliis confundi et permutari nequeant, *voces* ut ita dicam *significativas* vel *demonstrativas*. *Quae ferunt demonstrationem et significationem* h. e. quibus munus quasi demonstrandi et designandi impositum est, *quibusque* v. 89. (non *in quas*) *fit designatio rei* (vel personae) *quasi digito* h. e. non ambigue sed perspicue et dilucide. B. H. dicit quinque esse ܠܥܘܠ, videlicet:

1) v. 90. nomina ܐܝܕܝܘܬܐ (a voce graeca ἄτομος) *individua* vel *personalia*, quae ex consuetudine ܫܡܗܬܐ (*Amira* p. 59.) nuncupantur. V. 93. hujus generis nomina afferuntur: *Socrates, Plato, Navatis* (*Ναυάτης* Xenoph. Hellen. III, 2, 6.). Qui determinationis modus in margine dicitur *distinctio nominum propriorum*.
2) v. 91. nomina *significativa* quae sunt pronomina demonstrativa vel annuentia (de voce ܐܝܬܝ cf.

Amirae grammat. p. 239.). V. 94. hujus generis nomina afferuntur *hic, isti, ista, istae.* Qui determinationis modus in margine dicitur *demonstratio.*

3) v. 91. *conjunctio consanguineorum,* videlicet duae voces quam arctissime conjunctae et vinculo quasi fraternitatis ligatae, quarum altera primam definit ita ut de ejus relatione et significatione dubitari nequeat. Exempla v. 95. proposita sunt voces statu constructo, quem nostri grammatici vocant, conjunctae: *domus Jacobi* i. e. non alia sed haec ipsa Jacobi domus. Qui modus in lingua arab. *'Izafet* dicitur.

4) v. 92. consequens ܕܝܠܗ, proprie *consecutio* vel *adhaesio τοῦ* ܕܝܠ, i. e. illa adhaesio quae est in voce ܕܝܠ e praepositione \\ et ex adhaerente suffixo ܗ composita. V. 96. e. gr. afferuntur: *venit sibi in urbem,* non alius venit sed ille sibi ipse, ipsemet venit; *ascendit sibi in navem,* ipsemet ascendit. Cf. *Ewald* grammat. hebr. 1838. §. 563. Quartus hic modus est *modus pronominis* مضمر, qui etiam *quintum,* quem B. H. distinguit, modum complectitur.

5) v. 92. suffixum ܗ ad sequens objectum delegans idque indicans, e. gr. v. 87. *ascendit hunc* non alium *montem, Jesus* (= Josua) *pertransivit illud* non aliud flumen.

V. 98—107. Octo litterae vocibus appositae pluralis formam secernunt a forma singulari, quas octo litteras complectitur vox memorialis nimia, ut apparet, arte versui 99. inserta ܕܣܥܛܟܐܘܢ. Omnia harum litterarum exempla proponuntur:

1) ـد v. 102. in voce 'ebbone.

2) ـه v. 106. in vocibus graecis in accusativo positis, cf. *Hoffmann* p. 256.

3) ـ v. 103. in statu constructo masc. plur.

4) ـ v. 102. in *sammone* et v. 104. in *'amme* et *jamme*, cf. *Amira* p. 97.

5) ـ v. 105. in *'ar'oto* etc. et v. 100. in *abohoto*.

6) ـ v. 100 et 101. in *abohoto* etc.

7) ـ v. 107. in vocibus graecis, cf. *Hoffmann* p. 256.

8) ـ v. 102. in *sammone*, *'ebbone*.

V. 108—117. De positione punctorum pluralem numerum indicantium cf. *Amira* p. 47 seqq.

1) v. 108—110. omnibus vocibus, quae in numero plurali et singulari inveniuntur, in numero plurali puncta adduntur.

2) v. 111 et 112. nomina collectiva formae singularis, licet multitudinem significent, sine punctis scribuntur.

3) v. 113. puncta tum demum iis adduntur, si e collectivis singularis numeri collectiva pluralis numeri fiant et forma et significatione e. gr. *greges*, *agmina* v. 116. Cf. *Amira* p. 94.

4) v. 114. sunt denique nomina collectiva singularis et numeri et formae, quae nunquam in plurali et numero et forma inveniuntur; his vocibus v. 114—117. ut puncta addantur praeter necessitatem accidit e *Bar Hebraei* sententia. Notandum est hujusmodi voces exempli gratia v. 114. iterumque v. 116 et 117. allatas punctis esse signatas in cod. mnscr., et grammatici syri posterioris aetatis semper sic eas signasse videntur, cf. *Amira* p. 95.

V. 118—121. Ad fidem verborum v. 118. ita sonat: quattuor sunt litterae masculinitatis secundum *hoven* i. e. litterae masculinitatis sunt *h*, *v*, *j*, *n*, e quibus vox memorialis *hoven* componitur, videlicet 1) ـه suffixi tertiae personae sing. masc. in nominibus; 2) ـو suffixi

tertiae personae plur. masc. in nominibus ـهُمْ, quod litterâ *o* secernitur a suffixo femin. ـهُنَّ; eadem littera ـهُنْ secernitur a ـهُنَّ, cf. v. 127; 3) ـَ suffixi tertiae personae nominibus numeri pluralis additi, quae littera in suff. fem. non occurrit cf. v. 127; 4) ـِ pronominis أَنْتِ fem. أَنْتُنَّ, et pronominis أَنْتُمْ fem. أَنْتُنَّ.

V. 123 et 124. De his nominibus vide *Amirae* grammat. p. 66 et 67.

V. 127. *Utraque sua* supplere possumus *mamma* aut tale aliquid. ܓܘܪܗ in versione marginali redditur: *catuli ejus.* Quin haec significatio formae, quam alibi quidem nusquam inveni, ܓܘܪ vel ܓܘܪܐ, in plur. cum suff. fem. plur. ܓܘܪܝܗ, inesse possit nullus dubito. Catulus alias ܓܘܪܐ, ܓܘܪ, ܓܘܪ dicitur. Tutam et probatam significationem qui desiderat vocem ܓܘܪܗ legere et ad singularem ܓܘܪ *sagitta* referre potest, cf. Lexicon. chrest. Kirschianae ed. Bernstein p. 81.

V. 129. *Amira* p. 143: „diminutione, quae solum est in nominibus, utimur cum rem contemptu quodam deprimimus ac despicimus, vel blanditiis quibusdam honoramus et efferimus."

V. 131 et 135. Ablationem litterae ـس in vocativo graeco in eadem serie cum nominibus deminutivis positam ne mireris; *Bar Hebraeus* spectat non originem sed usum formae.

V. 136—150. Sub hac de contractione titulo disserunt grammatici Syri de nominum relatione et de statibus, e quibus diversa eorum pendet enuntiatio, ita, ut nemo non videat eos omnino non intellexisse hanc in cognoscendis linguis semiticis facile primariam doctrinam. Sed haec in transcursu attigisse sufficiat. *Bar Hebraeus* v. 144. contractionem vocis *'edamo* in *'ad* (quae revera non est contractio sed abjectio stirpis pronominalis *mo*, cf. hebr. לָמוֹ, בָּמוֹ) et vocis *'edamo lechoscho* in *'ada-*

masch non distinguit a breviori enuntiatione nominum in statu absoluto et constructo; v. 146. unam eandemque caussam contractionis affert eam, ut ingressus orationis expediatur et huic caussae subjungit tres modos contractionis nominum: 1) v. 148. statum constr. ante suffixum; 2) v. 149. statum absolutum praedicati; 3) v. 150. statum constructum nominis definiti ante nomen definiens; cf. v. 229 sqq. Non melius *Amira* p. 146: „nomina autem contrahuntur tum propter sermonis elegantiam ac brevitatem; tum propter carminis condendi necessitatem: quo fit, ut, si interdum contractio in aliquibus vocibus sermonis ornatui officiat, omnino negligenda sit.“

V. 151—164. Cf. *Amira* p. 29. V. 151. in codice ܟܕܡ, quod in ܟܡܟ mutandum, nam 1) secundum seriem litterarum hujus vocis exempla proponuntur v. 152—156.; 2) versio marginalis v. 151. haec est: „includuntur in clave hujus.“ Vox memorialis est *baqlid hono*, litterae distinguentes sunt: *b, q, l, j, d, h, n, olaf.* V. 160. ܗܘ̈ܝ̈ܢ legendum est cf. *Amira* p. 30., in cod. mnscr. ܗ̈ܘ̈ܝ̈ܢ.

V. 164—183. *Amira* p. 104 sqq. E sex litteris in v. 165. enumeratis ad formas syriacas spectant *j, n* (*on*), terminationes adjectivorum in omnibus linguis semiticis usitatissimae; „his litteris quidam addunt *r* in nomine *'elporo*“ *Amira* p. 108.; litteris *στ* — *στης* — et *κ* — *κος* — adjectiva graeca formantur. V. 167. ܟܕܣܣ λέξις, vers. marg. lexicon. V. 169. ܐܛܪܕ cf. infra 3, 33. *Amira* p. 440: „ܕ̈ܒ et ܕ̈ܐ, utroque enim modo scribitur ab auctoribus, id est ܟ̈ܒ usurpatur solum fere ob elegantiam, et per modum imperandi cum prima et secunda persona.“ *Hoffmann* p. 388. recte dixit: ܕ̈ܒ hebraicae respondere terminationi ־נָּה, cf. *Hupfeld System der Semitischen Demonstrativ-Bildung und der damit zusammenhängenden Pronominal- und Partikelnbildung, in Zeitschrift zur Kunde des Morgenlandes, II. p.* 158.

V. 184—198. V. 184. جِنسٌ, جِنسًا est genus nominum, masculinum et femininum, *Amira* p. 80., *de Sacy* gr. arabe sec. ed. 1. p. 149. De genere in hac sententia h. l. non agitur, quamobrem *Bar Hebraeus* accuratius *genus* definit atque nuncupat جِنسًا جِنسٌ جنس اجناس genus generale sive summum; hoc autem nomine categorias *Aristotelicas* denotat, quae sunt summa genera enuntiationum. Cf. *Heinr. Ritter Geschichte der Philosophie* 3. *Theil S.* 77. Decem categorias Aristotelicas enumerat, *Aristotelis* fere verba reddens, quae, quum ad intelligenda ea quae in hoc nostro capite vere et falso dicta sunt quam maximi sint momenti, apponam: *τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν. ἔστι δὲ οὐσία* (v. 185.) *μὲν ὡς τύπῳ εἰπεῖν οἷον ἄνθρωπος, ἵππος· ποσὸν* (v. 186—189.) *δὲ οἷον δίπηχυ, τρίπηχυ· ποιὸν δὲ* (v. 190.) *οἷον λευκόν, γραμματικόν· πρός τι* (v. 191.) *δὲ οἷον διπλάσιον, ἥμισυ, μεῖζον· ποῦ δὲ* (v. 193 et 194.) *οἷον ἐν Λυκείῳ, ἐν ἀγορᾷ· ποτὲ* (v. 193 et 194.) *δὲ οἷον ἐχθές, πέρυσιν· κεῖσθαι* (v. 192.) *δὲ οἷον ἀνάκειται, κάθηται· ἔχειν* (v. 197.) *δὲ οἷον ὑποδέδεται, ὥπλισται· ποιεῖν δὲ* (v. 195.) *οἷον τέμνει, καίει· πάσχειν* (v. 195.) *δὲ οἷον τέμνεται, καίεται.* *Arist.* Cat. 4. Cf. historia philosophiae graeco-romanae ex fontium locis contexta ed. *L. Preller* p. 244 sq. Exempla a *Bar Hebraeo* proposita non semper veram categoriae sententiam exprimunt, sed de hac re ne longior sim tantum affero categoriam *πρός τι* v. 191. verbis syriacis ܕܠܝܢܐ ܕܠܘܬ redditam, quae verba fecerunt ut de statu constructo quem ita denotant grammatici syriaci cogitaret *Bar Hebraens.* Versionem vers. 196. sic lege: si dicis *illi qui verberatur: illum qui te verberavit dominus verberavit;* exemplum passivi deest.

V. 207. Definitio temporis ex *Aristotelis* scriptis repetita. Cf. Phys. lib. IV, 11.: *ἀριθμὸς ἄρα τις ὁ χρό-*

νος; ἀριθμὸς = ܡܬܩܝܣ; motus coelestis non est tempus secundum *Aristotelem*, sed est mensura omnium motuum quippe qui sibi constans et notissimus sit motus. Quamobrem nostro loco dicitur, tempus esse mensuram motus coelestis cf. *Heinr. Ritter Geschichte der Philosophie* 3 *Theil S.* 235.

V. 211 et 212. Definitio loci iterum respicit *Aristotelis* notionem spatii et loci. Terminus interior corporis oppositus ille termino exteriori est determinatio, forma et figura ejus; huic, ut loci notio oriatur, accedat necesse est (ܕܒܩ ܠܟ necessario cohaeret, conjunctus est) terminus exterior corporis ipsa sua forma determinati (ܡܬܚܕ) i. e. accedant necesse est termini circumdantes et amplectentes formam corporis, qui termini demum locum corporis definiunt eumque circumscribunt. Corpus, quod externis terminis sive corpore alio externo circumscribitur, est in loco; cf. *Aristot.* Phys. IV, 5. *ᾧ μὲν οὖν σώματι ἔστι τι ἐκτὸς σῶμα περιέχον αὐτό, τοῦτό ἐστιν ἐν τόπῳ.* Vide quae de Aristotelis de spatio et loco doctrina disseruit *Heinr. Ritter Geschichte der Philosophie* 3. *p.* 228 *sqq.*

V. 222 et 223. in *Hoffmanni* grammat. p. 266. allegantur. *Si personae* (proprie substantiae) *tuae conjungitur* = si cum suffixo primae personae conjungitur.

V. 224. cf. *Amira* p. 193.

V. 225 et 226. cf. *Amira* p. 193. Nomina exempli caussa allata respondent formis hebraicis מִשְׁחָה etc., quarum terminatio vocalis ־ָה = ־ = ־ in lingua syriaca etiam ante suffixum primae personae remanet. Eandem terminationem non quidem ante suffixa primae personae tamen ante suffixa secundae et tertiae personae in lingua hebraica remanere notum est. *Ewald* grammat. hebr. 1838. p. 271.

V. 227. ܠܥܠ pars superior, excelsa vocis est initium ejus.

V. 230. ܓܒܝ versio marginalis *puer Gideonis*, quod per imprudentiam in meam versionem irrepsit. Lege *ros Gideonis*, Judd. 6, 38—40.

V. 231—240. Significationes contractionis sive status constructi quattuor sunt hae: 1) litterae ̈, cujus significationis exemplum vide in v. 234.; 2) praepositionis ܒ, ut exempla in verss. 235 et 236. proposita docent. Hae duae cognatae inter se significationes ad unam eandemque fere significationem duplici modo perceptam referri possunt, quamobrem dicitur in v. 231: *possidet significationem duplici modo* videlicet litterae ̈ et praepositionis ܒ. Quae contorta verborum constructio aequali exitu versuum ܐܡ — originem debet. 3) Vocis ܫܡܥ *ut audis* sive audies *a me* in verss. 237 et 238. hanc significationem exemplis comprobaturo; 4) denominantis possidentis sive adjectivi intransitivi (cf. annotata ad verss. 78—87.); quae verba reddidi *in dominante possidente*, videlicet *haec contractio est*, ea ratione ductus ut relationem remotiorem litterae ̈ ante ܕܡܪܝܐ annuerem: nam contractio vel status constr. significationem adjectivi intransitivi non habet, sed tantum in his adjectivis occurrit saepius. Inter terminos angustos usum adjectivi in statu constr. in lingua syriaca raro quidem obvii coercet *Bar Hebraeus*. Non aliter *Amira* p. 166: „huc (ad contractionem) spectant etiam nomina quae ad laudem vel vituperationem referuntur.“

V. 235. ܐܪܙ cf. vocabulum graecum σῆρ.

V. 238. ܕܡܝ proprie est forma adjectiva: τὸ solare coloris.

V. 241. ܒܥܠ cf. Lexicon syr. chr. Kirsch. ed. Bernstein p. 281.

V. 246. *Initio* v. 23 et 24.

V. 282—307. *Amira* p. 124—143. Grammatici syri posterioris aetatis caussas et rationes e quibus enuntiatio sive mollis sive aspera litterarum et positio pun-

ctorum *Quschoi* et *Rukhokh* pendent omnino non intellexerunt. Ad usum et consuetudinem rationibus non stabilitam ideoque in contrarias partes quam saepissime abeuntem delegati firma doctrinae de punctis ponendis fundamenta jacere non potuerunt. Observationes singulas collegerunt, rem ipsam non explicuerunt. Idem de tota punctorum et accentuum doctrina valet, cf. *Ewald, Zeitschrift zur Kunde des Morgenlandes* 2. *Band p.* 110. *Bar Hebraeus* hoc nostro loco confuse, *Amira* ceteri grammatici perplexe de punctis Quschoi et Rukhokh locuti sunt. Puncta, quae liber mnscr. perhibet quam accuratissime typis exprimenda curavi. Nihil emendavi. Emendandi tum demum locus erit, si punctorum rationem e libris syriacis quam accuratissime scriptis cognitam habebimus. V. 284 et 285. cf. *Amira* p. 127.: „si litteris *bgdkft* accidit una ex his quattuor consonantibus hac voce ܟܬܒ (cf. v. 23.) comprehensis fiunt lenes.“ Vss. 286 — 292. in *Hoffmanni* grammatic p. 113. typis expressos invenis; π graecum nunquam est molle, attamen in mnscr. v. 289. legitur ܟܦܓܒ, *Amira* p. 127. recte ܟܦܓܒ. V. 290 sqq. ad litteram ܕ in vocibus syriacis spectant. V. 293. litterae ܕ in vocibus enumeratis suppositum fuit punctum Rukhokh, sed quum regulae v. 292. stabilitae aperte repugnet deletum est; sic littera ܕ sine omni puncto remansit. V. 300. ܕ̣ sic cum petocho in manuscr., Actt. 7, 43. ܕ̣. V. 305. lege ܫܒܩܗ, puncta nescio quo casu deciderunt.

V. 308 — 323. agunt de litteris quae scribuntur sed non pronuntiantur, *Amira* p. 24.; v. 324—327. de litteris quae pronuntiantur sed non scribuntur, *Amira* p. 27. V. 309. ad verbum: *dictum quasi istud absorbet.* Dictum memoriale quindecim litteras complectens hunc sensum praebet: *quia peccavi ille pugnavit.*

V. 328 — 340. De permixtione arbitraria agens *Bar Hebraeus* addit v. 340: *tu autem talia mitte,* cf. quae

Amira p. 28. contra talem permutationem litterarum monet. Haec permixtio et permutatio litterarum interdum inscientia, saepius ipsa pronuntiatione temporum decursu debilitata et litterarum discrimina tollente orta indies depravavit linguam syriacam. Depravationem irruentem grammatici non potuerunt inhibere; cf. quae *Rödiger* de lingua syriaca nostro tempore superstite disseruit in *Zeitschrift zur Kunde des Morgenlandes*, 2. *Band p.* 83 sqq.

V. 350. أرمحم *Ἑρμεῖον (?)*.

V. 353—360. *Amira* p. 437.

V. 367—372. *Amira* p. 437.

V. 373—377. *Amira* p. 446. V. 375. pro ܟܘܦ sine dubio legendum ܟܕܦ; ܡܘܦ quid sit nescio, puto nomen loci.

AD CAPUT SECUNDUM.

V. 3—7. cfr. quae ad cap. 1. v. 1 et 2. annotavi. Nomina et verba sunt voces simplices possidentes sensum perfectum, utraque opposita conjunctioni; sed verba a nominibus differunt eo ut diversas temporum rationes respiciant. Quod discrimen in omnibus quas *Amira* p. 249. enumeravit definitionibus distincte enuntiatur, cf. *Eliae* definitionem ܡܠܬܐ ܐܝܬ ܒܗ ܚܕ ܙܒܢܐ ܡܢ ܙܒܢܐ ܘܡܫܡܥ ܒܗ ܙܒܢ ܥܒܪ ܘܙܒܢ ܗܘܐ ܘܙܒܢ ܐܬܐ *verbum est quod simul denuntiat tempus quod praeteriit, quod praesens et futurum est.*

V. 8—12. Haec quae intercedit inter tempus praesens et tempus futurum necessitudo nititur non cognatis formis externis sed propinquitate momenti temporis prae-

sentis et cujusvis momenti temporis proxime instantis; ܡܗܘܝ̈ igitur significare videtur formas quasi internas, qualitates.

V. 12—17. Verba intransitiva a grammaticis dicuntur ܦܥܠ, verba transitiva ܦܥܝ vel ܐܬܦܥܠ cf. *Amira* p. 413.

V. 18. pro ܐܬܦܥܠ metri caussa legendum est ܐܬܦܥܝ, conf. titulum verss. 62—77. libri 1.

V. 24. ܡܢܥܡ femininum efficientes, inde in titulo dicuntur litterae ܐܡܢܥܡܢܬܐ.

V. 26. pro ܐܙܠ legendum ܐܙܠ, rad. ܙ tremuit.

V. 27. ܫܦܥ, ܐܫܬܦܥ ܙ etc., in hisce formis non raro duplex occurrit *jud*, sed saepius *jud* feminini coalescit cum *jud* radicis, cf. v. 35—39., quod secundum *Bar Hebraeum* tantum in verbis parvis i. e. minoris ambitus fieri solet, e. gr. in ܦܟ, ܫܝ̈ܒ etc.

V. 33. ܦ̈ܣ ܡܟ verbum elementorum sive litterarum est verbum scriptum.

V. 34. ἀπόδειξις = ܡܗܝܕܢܘܬܐ.

V. 36. ad verbum: et mutationem in eorum substantia patiuntur.

V. 40—44. In stirpe simplici (Peal) verborum ܦ tertia persona femin. plur. e tertia persona singul. masc. non formatur apposita littera ܒ ut in *saki*, *'ebad* etc., sed motione tantum vocalis, e. gr. *chezo* et *chezai*. Quae terminatio *ai* e *a* radicis et *j* femin. quidem orta est, sed originem terminationis *Bar Hebraeus* non respicit.

V. 52. Lineam voci *olaf* per imprudentiam suppositam supra eam colloca. Pro ܢܡܨ pluralem lege ܢܡܨ.

V. 54 et 55. ܢܕ *aruit*, *exaruit* dicitur de gutture sicco rauco obmutescente et eandem praebere potest si-

gnificationem quam ܡܬܗ *mutus fuit.* Quamobrem *Bar Hebraeus* putat alteram vocem ortam esse ex altera abjecta littera ܗ. Occasione oblata commemoro utramque radicem esse cognatam et ex origine ejusdem significationis.

V. 57—60. *Amira* p. 251 et 255. de *casibus verbi* disserit plane alio modo quam noster. Quod non offendit. Nam notio casus quam statuerunt grammatici syri effecit, ut quamcunque litteram praefixam et quasi cadentem in vocem, casibus annumerarent. *Amira* tres e litteris *bdul* (quae casus sunt nominum lib. 1. v. 24 et 25. v. 246—281.) videlicet *b, d, l,* casus verbi esse dicit easque *maphloto* nuncupat. Noster casus verbi a casibus nominis distinguit et litteras verbis praefixas quas vox memorialis *mento* complectitur casus verbi esse profitetur, *m* participii, *n* futuri, *t* femin., *olaf* primae personae futuri. De voce *mento* cf. *Amira* p. 419 sqq.

V. 62. Transpositione litterarum e *mento* v. 57. fit *amnat;* mutatam formam vocis memorialis hoc loco aequalis exitus versus postulat.

V. 68. ܐܬܥܡܛ Etp. rad. ܥܡܛ idem fere significat quod Etpa. rad. ܥܡܛܐ, nam fervendi et fermentandi significatio duabus litteris ܥܡܛ insita in utramque radicem quadrat; quamobrem hoc loco littera ܐ annumeratur litteris additamenti et in una serie ponitur cum ܐ syllabae passivae ܐܬ et cum euphonicis hujus litterae mutationibus.

V. 69—135. In libro mnscrpto verba tituli alibi semper atramento rubro hoc loco partim rubro partim nigro scripta sunt, quod testatur scriptorem librarium in dubio haesisse de ambitu tituli. Sed incerti esse non possumus, nam verba tituli soluta oratione a versibus doctrinam ipsam exponentibus satis dilucide distincta sunt. — Secundum titulum verss. 69—135. agunt *de ratione qua exploremus* ܙܡܢܐ *temporis praesentis et*

futuri. Quaeritur quid sit *qnumo?* vox saepissime obvia, etiam apud Arabes (أُقْنُوم), respondet voci graecae *ὑπόστασις*, dicitur de homine qui ipse est *ὑπόστασις* vel substantia sui ipsius, e. gr. lib. 1, 222,, igitur de persona, quam vocamus, et hanc ob rem nomina personalia sunt ܦܓܡܐ lib. 1, 90. *Amira* p. 59. Tamen nunquam quod sciam occurrit apud grammaticos syros de personis verbi, quas semper ܦܪܨܘܦܐ *πρόσωπα* nuncupant cf. v. 70. *Amira* p. 251. Qua de caussa etiam hoc loco non de persona sed de *substantia* cogitemus necesse est. *Substantia* temporis praesentis et futuri quae sit versus sequentes docent, nam in versibus 71—135. ad quos titulus spectat, sermo tantum est de forma *imperativi*, in qua revera conspicitur substantia stirpis, quae conjuncta cum praefixis et affixis personarum et numeri in futuro reperitur, etiam in participio (i. e. praesente) stirpium derivatarum. Quid valeat haec *substantia*, quemnam locum teneat in doctrina de formis verbi non dicit *Bar Hebraeus* plurima tantum breviter attingens in hac sua grammatica metrica. Ex enumeratione conjugationum apparet hanc *substantiam* fere respondere *θέματι* grammaticorum graecorum, ita ut constituendis et definiendis conjugationum generibus inserviat, nam sex mensurae sive conjugationes quas enumerat noster pendent e ratione, quae intercedit inter futurum et imperativum sive substantiam. — *Substantia* accuratius definitur adjectivo apposito ܚܕܝܐ quod significat rem sui generis unicam v. 54., igitur numerum singularem v. 19. qui ex consuetudine ܚܕ dicitur. Haec *substantia singularis* (v. 180.) vel numeri singularis est *proxime* (ܩܪܝܒ adverbialiter positum est, nam praedicati locum tenent adjectiva sequentia ܕܟܪ et ܢܩܒܐ) *masculina et femin.*, cf. v. 187. De utraque forma substantiae singularis igitur dicendum est et dicitur. Ultima tituli verba sunt accusativi pendentes a verbo *nepqud: multos et multas* videli-

cet substantias i. e. substantiam vel imperativum in numero plurali generis masc. et fem.

V. 69. *Verbum quod imperat* est imperativus, qui ipse substantiam (θέμα) futuri et praesentis exhibet. In futuro conspicitur, igitur e futuro derivari potest.

V. 71 sqq. enumerantur conjugationes, quae hoc loco *mensurae* nuncupantur; dicuntur etiam ܫܘܢܝܐ *variationes, et* ܫܘܪܝ̈ܐ *ramorum propagatio. Amira* p. 256.

1) v. 71 — 86. primam mensuram constituunt omnia verba, quae imperativum formant ita ut abjecta littera *nun* vocalium positionem et enuntiationem futuri retineant.
v. 73 et 74. *Hoffmannus* in gramm. p. 175. allegavit. De forma ܐܬܐ cf. *Amira* p. 360.

2) v. 87 — 100. secundam mensuram constituunt verborum ܦ formae passivae, quae in imperativo syllabam ܐܬ mutant in ܐ et in ultima syllaba vocalem *o* sibi sumunt.
v. 93. vox ܐܬܦܥܠ secundae mensurae annumeranda est, si exitum respicis, primae, si initii rationem habes. Igitur peculiaris quidem mensura hujus formae verbis tribuitur, sed apposita ea mensurae secundae eique subjecta.

3) v. 101 — 110. ad tertiam mensuram pertinent futura stirpis simplicis verborum ܦ quae in imperativo *nun* abjiciunt et vocali *i* pronuntiantur.
V. 109 et 110. *Hoffmannus* in grammat. p. 225 allegavit.

4) v. 111—120. quartae mensurae annumerantur omnia verba quae in imperativo litteram consonantem tertiam ab initio cum *a* pronuntiant. Ad hanc mensuram verba plurima et sive originem sive formam spectas diversissima pertinent; nam in hac imperativi forma discrimina stirpium Etpeel et Etpaal alia-

que discrimina formarum multa cessant. *A* tertiae consonantis sola est norma et nota hujus mensurae, quamobrem varias variorum verborum formas huic mensurae subjectas ne mireris.

5) v. 121—128. Signum quintae mensurae est vocalis *a* litterae consonantis quartae ab initio. Huc pertinent formae passivae stirpis simplicis verborum ﭘ.

6) v. 129—135. Sextam mensuram constituunt formae passivae stirpis simplicis verborum ﺣ. v. 129. legendum est ﺃﺃﺼﺦ. v. 131. *mundatur* videlicet abjecta terminatione ﺎ̈. v. 135. ﺼﺤﺦ sic in libro mnscrpto.

V. 136—157. *Amira* p. 356—368. Vox ﺒﻌﻴﻼ in titulo significat *paucus*, quae significatio bene quadrat in nostrum locum, nam verba pauca, quae mensuris sex stabilitis subjecta non sunt, enumerantur in hoc capite. Dubito num significatio *difficilis*, quam versio marginalis exhibet, huic voci assignanda sit. *Abraham Ecchellensis* quidem, in grammat. sua p. ﻭﻟﻪ in doctrina de verbis, typis verborum ﺘﻌﺪﻳﺔ *perspicuis* opponit typos ﺒﻌﻴﻼ ut ei vocabulo significationem *impeditus*, *difficilis* tribuere videatur.

V. 136. ﺼﻜﻰ *progerminare*, in Aphel *proferre* rationes rei i. e. explicare.

V. 138 et 140. ﺘﺄﻼ ad mensuram primam pertinet cf. v. 72.

V. 142. ﺘﺄﻤﺪ ad mensuram tertiam pertinet cf. v. 101., quo loco ﺘﻤﺪ sine *olaf* legitur. Uterque scribendi modus promiscue occurrit.

V. 143—146. Tria verba in futuro ejusdem formae in imperativo tamen diversam habent formam, videlicet ﺘﺄﻤﺪ in imper. est ﻣﻌﻤﻒ, ﺘﺄﻼ in imper. est ﻼ cf. *Amira* p. 357., ﺘﺄﻤﺪ neque ad analogiam primi verbi *mji* neque ad analogiam alterius *mo*, sed verbi *eschtai* analo-

giam sequens imperativum habet ܐܬܐ cf. *Amira* p. 360. v. 145. ܐܬܐ ܐܬܐ duae imperativi formae, quarum altera est fictitia, scribendo in cod. manuscr. arcte conjunctae sunt: *veni jura*. Versus levi mutatione sic legendus videtur: ܐܬܐ ܐܬܐ ܐܡܪ ܐܬܐ ܠܡ nunquam dicis ad analogiam *to mo*.

V. 148—153. ܐܙܠ tantum in futuro et infinitivo in lingua syriaca occurrit, in praeterito et imper. vices hujus verbi gerit radix ܐܬܐ; contra ܐܬܐ nunquam invenitur in futuro, sed loco ipsius substituitur ܐܙܠ. *Amira* p. 362.

V. 155. ܐܪܟ cf. *Amira* p. 280. *Hoffmann* p. 225. *In psalmo* cf. ps. 6, 5. 80, 15.

V. 156. ܡܟܝ partic. pass. Aphel, quam arctissime conjunctum cum participio sequente ܐܙܠ.

V. 157. Et paulo post, videlicet in verss. 164—178.

V. 158—163. agunt de tertia praeteriti et partic. femin. primae stirpis verbb. ܗܐ et ܐܙܠ.

Versus 161. legendus videtur: ܡܢܬ ܬܟܬܒ ܐܢ ܐܢ ܐܟܬܒ.

V. 164. ܐܬܢܐ a rad. ܐܡܪ, ܫܢܐ narrando repetere, est *narratio*, opposita voci ܐܡܪ significat tempus narrationis i. e. praeteritum.

V. 169. ܐܗܒ in imperat. ut ܐܬܐ.

V. 180. *persona singularis* accuratius *substantia singularis*. Hoc loco secernitur substantia singularis in praeterito, quae tertia persona est praeteriti, a substantia singulari in imperativo, cf. supra p. 119.

V. 190. ܐܠ ܐܬܐ *conjunctio ea quae est cum masculo et femina*, ad verbum: in colloquio quod est cum masculo et femina, i. e. si suffixum secundae personae masc. et femin. accedit.

V. 195 et 196. Tertia singul. masc. et tertia plur. fem. praeteriti verborum formae *saki* et *'ebad* item non sono sed scriptione tantum distinguuntur.

V. 197—214. In titulo litterae ܐܠܦ̈ nuncupantur ܐܠܦ̈ ܪ̈ܥ̈ܩ̈ *raucae*, quod vocabulum in linguam grammaticam non est receptum. Ultimum tituli verbum ܡܫܠ sine dubio legendum est pro ܡܫܠ in libro mnscrpt., quod sententiam nullam praebet; verbum ܐܫܠ ortum est e ܐܦ̈ *locutio*, *sermo*.

V. 197. ad verbum: litterae gutturales inclusae sunt in trinitate cf. lib. 1. v. 98. Litterae gutturales sunt *h*, *ch*, *'e*, nam littera *olaf* potentiam gutturalem abjecit ita ut grammatici syri vix et ne vix quidem eam gutturalibus annumerarent, cf *Amira* p. 7 et 8.

V. 202. participiorum rationem habet *Bar Hebraeus*, cf. v. 209—214.

V. 209. ad verbum: in hunc canonem haec (verba) introducit.

V. 215—220. agunt de nominibus, e quibus secundum nostrum verba derivantur et quae hanc ob rem in titulo *etymologica* dicuntur. Non est quod dicam, in nominibus, quae duplicem habent *v*, alteram ad stirpem, alteram ad formationem nominis pertinere, quamobrem altera in verbis remaneat necesse est.

V. 221—237. cf. quae supra ad lib. 1. vss. 282—307. de punctis *Quschoi* et *Rukhokh* diximus. Etiam hoc loco non recensendi partes suscipere sed explicare volumus doctrinam a *Bar Hebraeo* propositam. V. 221. *jam antea* cf. lib. 1. v. 282 et 283. 1) v. 224 et 225. litterae *amnat* v. 62. vel *mento* v. 57., quae casus dicuntur, molliunt litteras *bgdkft* post eas positas. E vocibus exempli gratia allatis apparet hoc loco casibus annumerari litteras *v* et *d*, cf. quae supra ad vss. 57—60. annotavimus. *Amira* p. 419 sqq.: „notandum est —— litteras *amnat* cum alicui consonanti de sex accidunt, *si*

eam quiescentem reperiunt, habere vim eficiendi illam mollem — —; praeterea duae litterae *d* et *v* cum verbo cadunt, ejus primam litteram, si de sex est mollem reddunt." Sed v. 225—229. ab hac lege excipiendae sunt litterae *bgdkft* motae i. e. cum vocali enuntiatae, nam hae (quae ex origine, ut rationem rei afferam, fere semper sunt geminandae) punctum *Quschoi* habent. Puncto *Quschoi* his in verbis respondet Dagesch forte Hebraeorum. — 2) v. 230. *t* quiescens post litteram *v* propositam asperatur, cf. *Amira* p. 420: „advertendum tamen est, duas litteras *v* et *d* si litteram *t* quiescentem reperiant, asperitate afficere, sin vero motam lenitate." — 3) v. 231—234. verba, quae in praeterito possident litteras molles, in praesente vel participio habent litteras asperas; exempla sunt *b* in *borkhon*, *d* in *poqdo*, *'obdin* et *chozdin*, *kh* in *khotbo*; contra formae praesentis litterâ *mim* formatae habent litteras molles e. gr. v. 234. *mbarkhin* et *mchasdin*. Hanc legem omnino nullo certo niti fundamento quisque videt; *Amira* quidem exceptionibus et novis legibus studuit definire eam et stabilire p. 420 sqq., sed operam perdidit, nam hac methodo ut doctrina de punctis, quorum positio tota a qualitate et natura syllabarum pendet, explicaretur fieri non potuit. — 4) Littera *p* vocis *apis* graeca est et hanc ob rem aspera, cf. lib. 1. v. 286. Notum est, vocem إصدقس relatam esse a grammaticis syris ad verbum graecum *πείθω*, de qua relatione vide lexicon chrestom. Kirschianae ed. *Bernstein* p. 392. v. 237. ܩܢܘܢܐ ܕܩܠܝܣܐ *canon grammaticae*; conjicere possumus *Bar Hebraeus* hoc loco delegare lectorem ad latam hujus doctrinae expositionem in grammatica sua majori.

AD CAPUT TERTIUM.

V. 1 et 2. ad verbum: quod ad *conjunctionem*, nomen ejus ipsum sufficit ut ostendamus naturam ejus, quia factor est vicinitatis et *conjungit* etc. *Abraham Ecchellensis* p. ﻝ: أَهْزَا اِدْصَص صُعْدَا دْعَصْكَلَا دْصَعْدَا دْعَصْكَلَا أَهْزَا دْكَصَص دْصَعْدَا أَهْزَا دْكَصَص دْصَ

V. 6. cf. graecum *μέν* in *ὁ μέν* etc. (personam introducit), et *μέν* sensu concessivo i. e. in significatione conjunctionis ܐܦ̈ *ergo*.

V. 10. ܫܦ̈ܝܪܘܬܐ (sic scriptum est in libro mnscr.) graecum est *συμπέρασμα*. ***Moden*** et ***badgun*** ab *Abrah. Ecch.* p. ؛ dicuntur conjunctiones ܡܘܕܢ̈ *colligentes*.

V. 12. *'in* et *beram* v. 9. secundum *Abraham Ecchellensem* p. ؛ sunt conjunctiones ܐܝ̈ܢ.

V. 14. *ophen* conjunctionem ؛ ܐܦ̈ nuncupat *Abrah. Ecch.* p. ؛.

V. 20. voci *metul* vox *'al* cognata est, e. gr. in ܡܛܠ̈ et ܥܠ̈, cf. v. 56.

V. 23. ܥܒ̈ res gesta, historia cf. lexicon chrest. Kirschianae ed. *Bernstein* p. 550; status absolutus pro statu emphat. ܥܒ̈ metri caussa.

V. 25. *τὸ esse* videlicet in loco rei vel prope rem.

V. 29. *eschtuph* ad nomina relatum est 1, v. 37.

V. 33. *ni*, cf. quae ad libri 1. versum 169. annotavi; *Bar Hebraeus* eandem quam *Amira* hujus syllabae dat explicationem.

V. 34 et 35. De conjunctionibus his in versibus uno tenore breviter et cursim (v. 3.) disseruit *Bar Hebraeus*, sed sunt aliae in quas accuratius inquirere vult, videlicet praepositiones et reliqua vocabula conjunctionibus annumerata, de quibus in singulis sectionibus a v. 36. usque ad v. 148. agit.

V. 42. cf. lib. 1. v. 234.

V. 45. Lucas 1, 48.

V. 57. *Verbum vivum* est Christus; cf. Lucas 12, 53.

V. 60. non de praepositione *'al*, sed de *'al* tertia perfecti verbi agitur.

V. 62. sic interpungendus est: et a mane iterum est de tempore.

V. 64 et 65: *amen* 1) adjectivum est *constans, perseverans;* 2) particula asseverandi in fine precum, *ita fiat;* 3) stat. absol. pluralis vocis ܐܰܡܳܐ *cubitus;* 4) particula confirmandi, *vere, profecto.*

V. 69. Matth. 10, 29.

V. 70. quartus modus videtur esse modus *precum,* nam vocis ܨܠܘܬܳܐ significatio proxima est *preces;* exemplum propositum est: *ne videas diem mali.* Quartus hic modus fere nullo discrimine a secundo separatur, quod primo obtutu me offendit, quamobrem aliam hujus modi rationem quaesivi, sed inventam, cujus reliquias vides in versione latina, mittendam esse jam puto.

V. 71. ܐܡܪ ܟܕܒܐ ad verbum: *particulam 'in efficit,* i. e. affirmat, nam *'in* est particula afirmativa, *ita est, sane.*

V. 72. Lectio ܠܘܗܝ sine dubio depravata est; nam 1) vocem *lau* compositam esse e *lo* et verbo *hvo* conjectura esset falsa et a nemine, quod sciam, unquam prolata, quam *Bar Hebraeo* imputare non debemus; 2) verbum *hvo* cum sequente participio ܐܙܠ conjunctum hoc loco nullam aptam praeberet sententiam; legendum est ܠܐ e quibus vocibus secundum opinionem communem et firmam *lau* conflatum est.

V. 74. cf. lib. 1. v. 144.

V. 76. ܐܟܝܢ ortum ex ܐܡܪ et ܐ *secundum modum;* pro simplice ܐܡܪ hoc loco metri caussa positum. In versione *akzeno* delendum.

V. 78. significationem vocis *bzir* praepositio *'ad* conjuncta cum *qalil* habet e *Bar Hebraei* sententia: ؟ ܐܦ ܟܡܢ ܟܡܥܛ ܟܡܥܛ est *prope fecit ut,* ؟ ܐܦ ܟܡܢ ܟܡܥܛ est quasi *proxime fuit ut, exiguum paulum abfuit quin.*

V. 80. Ps. 90, 2.

V. 84. Jes. 1, 21.

V. 104. cf. lib. 1, 98. lib. 2, 197.

V. 110. cf. Genes. 39, 9. v. 111. cf. Genes. 14, 23. 24. in Peschito pro ܐܝܟ ܕܠܐ ܐܫܬ legitur ܐܝܟ ܕܐܫܬ. v. 112. cf. Josua 6, 17. v. 115. cf. Matth. 21, 19. v. 116. cf. Joh. 13, 10.

V. 119. ܬܘܒܬܐ *enuntiatio consequens* opposita illa *enuntiationi antecedenti* ܡܬܠܐ nuncupatae. *Amira* p. 476: *schudojo* proprie promissionem significat, *pur'ono* vero retributionem vel remunerationem. Hinc deinde propter quandam similitudinem transferuntur et orationi accommodantur. Nam quemadmodum promissio eum cui fit, expectatione quadam retributionis tenet suspensum, ita oratio vel sermo praecedens, quia expectatione alterius consequentis, quem praecedit et a quo aliquo modo dependet, animum legentis tenet suspensum illique sensum perfectum ingenerare non solet: communiter a grammaticis dum de interpunctione agunt dici solet *schudojo*, et qui hunc insequitur *pur'ono*, quo fit etiam ut *schudojo* pro qualibet oratione antecedenti et *pur'ono* pro qualibet consequenti sumi consuescant."

V. 124 et 125. Vocem ܕܝܟܢܐ versio marginalis reddidit *in porticu* vel *laritate* (sic? puto locum in quo lares collocati sunt). *Isaac bar Ali* in lexico ܕܝܟܢܐ explicat per العزة والتعظم *potentiam* et *nobilitatem*. Quid versio marginalis sibi velit et quo fundamento nitatur, nescio; significatio ab *Isaaco bar Ali* prolata neque aliena est a radice *dal* neque in nostro loco incommoda. Nam dicere videtur *Bar Hebraeus*, *en* usurpari tanquam particulam interrogativam, si interrogatio honoris caussa mitigetur et quasi sub conditione pronuntietur. Sed quaeritur, ubinam in hac interrogatione sit *pur'ono*, qui (v. 2.) particulam *en* sequatur necesse est?

Respondet noster verbum, quod ad particulam interrogativam pertinet, esse *pur'ono* (ܦܘܪܥܢܐ in secundo loco i. e. in enuntiatione consequente ponimus) sive locum τοῦ *pur'ono* in enuntiationibus conditionalibus occupare, et qui desideret *pur'ono* in hoc verbum inquirat. Ut ostendam, quomodo hanc rem cogitatione complectar, exemplum afferam: in interrogatione ܐܢ ܐܢܬ ܐܡܪܬ *si tu dixisti*, pur'ono quem particula *en* postulat deesse videtur, attamen adest e sententia *Bar Hebraei* in verbo ܐܡܪܬ; et revera hanc interrogationem conditionalem dissolvere possumus in duas enuntiationes: *si tu (fuisti)* est enuntiatio prima sive *schudojo*, et *qui dixeris* est enuntiatio altera sive *pur'ono*.

V. 137. *in allocutione, de qua re jam dictum est* in versu 127., quamobrem exemplum allocutionis non proponitur, nam exempla v. 140. sunt *institutionis*, v. 141. *admirationis* etc.

AD CAPUT QUARTUM.

V. 1—4. ܡܘܕܥ in titulo et v. 3. est *compositio*, quae est secundum *Amiram* p. 453.: ܣܕܪܐ ܕܡܠܝܐ ܕܡܠܬܐ ܘܡܠܬܐ *ordinatio recta partium orationis.* Oratio composita a grammaticis syris dicitur: 1) ܡܚܒܪܐ v. 2. *compositum;* 2) ܡܐܡܪܐ *sermo*, et 3) ܡܠܦܢܐ v. 2. *oratio.* Definitio orationis compositae est haec: ܡܠܬܐ ܕܡܫܡܥ ܒܟܠ ܚܕ ܡܢ ܦܪܘܣܝܗ ܕܐܢ ܡܬܦܪܫ ܡܫܡܥ ܡܕܡ ܐܝܟ ܕܐܢ ܡܬܦܪܫ ܡܫܡܥ ܡܕܡ *est vox significativa talis, ut quaevis e partibus illius, si separatur, significet quid;* cum hac definitione conferas definitiones nominis et verbi, initio libri 1 et 2. V. 3. *tria haec verba simplicia,* nomen, verbum et conjunctio.

V. 5—12. In quavis oratione composita necessario (*men ἀνάγκη*) est *principium* i. e. *quod ponitur* tanquam subjectum, de quo agitur, et *significatio* i. e. verbum subjectum denotans et definiens, praedicatum. *Amira ceteri* de his rebus nihil dixerunt, nam „de his et similibus subtilius agere est dialectici non grammatici induere personam," quod grammatici syri interdum quidem fecerunt, sed „Arabum consuetudine coacti, quorum est saepe res dialecticas cum grammaticis commiscere" cf. *Amira* p. 454. V. 5. ܝܕܥܬܟ cf. (فَطُنَ et nomen actionis فُطُونَةٌ) *prudentia tua scit,* nam de hac re jam disseruit noster in lib. 1. vss. 78—87. V. 7. *narrationum modalium,* ad certum modum constitutarum, nam

exclamationes et interjectiones excluduntur. V. 10—12. in oratione poetica praecipue praedicatum antecedit subjectum; exempla e genesi 49. repetita sunt.

V. 13—40. Ut doctrinam de subjecto et objecto, agente et acto explicet exemplum e libro 2 Reg. 20, 12—16. cf. Jes. c. 39. ut videtur depromptum proponit: *legati viderunt domum aerarii. Viderunt* indicat actionem, sed hanc non spectat his in versibus; *legati* sunt nomen agentis vel subjectum, *domus aerarii* est nomen acti vel objectum. Quaeritur, quomodo cognoscantur subjectum et objectum? quinque modis cognoscuntur: 1) *positione* v. 16—20., nam subjectum priorem tenet locum; 2) *praefixo lomad* v. 21—24., quae littera signum est objecti, vel *litteris* et *praepositionibus*, quae vicariae sunt litterae *lomad*, videlicet *b*, *'al* et *'am*. *'Ebido* actum vel objectum v. 22. nuncupatur *khunoi met'abdono* denominatio patientis, nomen acti; 3) *perspicuitate* v. 25—32. in enuntiationibus, quae ipsa sua sententia objectum definiunt, quales invenis in verss. 27 et 28; enuntiationes contra quae sententiam ancipitem praebent, signum objecti sibi sumunt, v. 29—32.; 4) *consecutione masculini et feminini* v. 33—36., nam quum genus subjecti in verbo conspiciatur, verbum formae mascul. postulat subjectum mascul., verbum formae fem. subjectum fem.; 5) *numero* v. 37—40., qui idem pendet e subjecto.

V. 41—46. Subjectum et objectum definiri possunt ita ut qualitates (ܐܶܬܩܛܰܠ et ܐܶܬܩܛܶܠ est qualitas) eorum appareant: 1) *ipsa actione* v. 14. i. e. verbo in enuntiatione subjuncta, e. gr.: vidi Jesum sacerdotem humilem, *stat* ante angelum vel *stantem* ante angelum; verbo subjuncto particula *kad* quam saepissime apponitur in lingua syriaca, sed deesse potest ut in lingua hebraica et arabica; 2) syllaba *'it* adverbia formante, quae qualitatem verbi definiunt cf. lib. 1, v. 30—40.; 3) ablatione litterae *olaf*, i. e. statu absoluto enuntiationi sub-

juncto, qui a statu absoluto praedicati (ܡܶܠܬܳܐ ܡܦܫܩܢܐ lib. 1, v. 41 et 44.), sine quo enuntiatio non est absoluta (lib. 1. v. 78—87.) distinguitur.

V. 47—65. cf. quae de accentibus disseruit vir perillustris *Ewald* in *Zeitschrift zur Kunde des Morgenlandes*, *Bd.* 1. *S.* 205—212. et *Bd.* 2. *S.* 109—124., *Abhandlungen zur orientalischen und biblischen Litteratur S.* 53 — 129. Maximi momenti in dijudicandis nostris versibus est commentatio altera (in *Zeitschrift Bd* 2. p. 109—124.), cui acceptam debemus notitiam *Bar Hebraei* de accentibus doctrinae, qualem proposuit in grammatica majori ܟܬܳܒܳܐ ܪܺܝܫܳܢܳܝܳܐ nuncupata. Et quidem in ultima sectione libri vel capitis quarti hujus grammaticae majoris invenimus doctrinam de ܢܣܳܒ ܨܦܪ̈ܐ *vexillis punctorum* sive *punctis majoribus*, distinctis illis a punctis mediis (Ribui, Quschoi, Rukhokh) et a punctis minoribus (quinque vocales denotantibus), quem eundem ultimum locum in hac grammatica nostra metrica tenet brevis et succincta septem accentuum expositio, at non in omnibus libris mnscrptt., nam *Ewald* (l. c. p. 110.) hanc ipsam expositionem in primo libro (*im ersten Haupttheil*) grammaticae invenit in duobus, quos inspexit codicibus bibliothecae Bodlejanae. Inversum ordinem in nulla quod sciam grammatica obviam demiror et nisi *Ewaldi* auctoritas obstaret in dubitationem vocarem.

Titulus docet, versus 47—65. agere de *puchome* et *qinot qerojoto*. Diversa nomina res diversas denotare ponamus necesse est, donec contrarium probatum sit. *Puchome* comparationes, aequationes orationis sunt membra aequalia sive enuntiationes aequalis fere ambitus, quibus complexio verborum componitur, quamobrem hac voce denominantur puncta ambitum enuntiationum denotantia, signa distinctionis et notae. *Qinot kerojoto* proprie sunt tenores et modulationes lectionum (cf. *Assemani*

bibl. or. II. p. 174. حصّدهُا سنّيهُا مُحمّلهُا إمكدهُا modulatione flebili et voce lamentabili), tum puncta et signa modulationes denotantia, quamobrem etiam مِحْا حَنْدَمْا notae musicae (*Ewald* l. c. p. 111.) nuncupatae esse videntur. In his nominationibus revera conspicimus utramque punctorum rationem, quae sunt signa et ambitus enuntiationum et modulationis vocis; sed quum utraque haec ratio quam saepissime sit conjuncta et in uno eodemque verbo reperiatur accidit, ut idem signum utramque denotare posset rationem. Quo factum est ut signis utriusque rationis commune nomen *puchome* attributum sit, v. 47.

V. 47—49. Quadraginta genera punctorum in gramm. majori enumerat *Bar Hebraeus* (*Ewald* l. c. p. 112.), e quorum numero septem tantum eligit, de quibus hoc loco disserat. Inter septem haec quattuor primum locum tenentia radices censentur reliquorum et adminicula, quamobrem هزهدمْا *radicalia* nuncupantur, cf. *Amira* p. 476. Tria ultima pertinent ad puncta triginta sex, quae sunt quasi rami e punctis radicalibus derivati et propagati, ut grammatici syri docent.

V. 50—56. Puncta quattuor radicalia enuntiationes singulas, quibus orbis verborum componitur, dividunt et sejungunt. Orbis verborum secundum grammaticos syros constat e duabus partibus, *schudojo* et *pur'ono*, quarum prior denotat ex origine propositionem, altera propositionem consequentem (cf. quae annotavi ad vs. 119. libri 3. pag. 128); sed propria harum vocum vis usu ita est amplificata, ut logicae rationis respectu fere nullo habito, membrum prius et si adsunt membra priora complexionis verborum constituant *schudojo*, enuntiatio sive enuntiationes sequentes ad *pur'ono* pertineant. Signa distinctionis quattuor sunt haec:

1) *'Elojo* v. 50—51. ponitur in media oratione et praecipue in *pur'ono*, ut dictionem longam et *pur'ono*

longum dividat in membra et enuntiationes singulas Praecipue in pur'ono. cf. *Amira* p. 479.

2) *Tachtojo* v. 52 et 53. 1) „adhibetur in fine *schudojo*, ut *schudojo* desiisse et *pur'ono* incepisse cognoscatur" (*Amira* p. 478.), igitur *in media oratione* sive complexione verborum *possidet seriem sectionis* i. e. incipit sectionem eam quae *pur'ono* dicitur, *et ante finem orationis locum habet*, necessario quum initium pur'ono denotet; 2) interdum usurpatur ad designandam interrogationem. *Amira* p. 478.

3) *Schevajo* v. 48. sive *zaugo* v. 54. tantum in *schudojo* occurrit hujusque membra dirimit, ergo semper invenitur ante accentum tachtojo, quippe qui finem *schudojo* denotet. *Zaugo* in *schudojo* respondet accentui *'elojo* in *pur'ono*.

4) *Posuqo* v. 56. פסוק finem totius complexionis verborum denotat. Hic *posuqo* est sector eminenti quadam ratione, quamobrem dicitur ܨܘܦܐ, etiam ܡܣܬܡ *sancitus*, et distinguitur a *posuqo* ܦܣܩܐ *mutuato*, qui verba singula sive enuntiationes parvas in initio orationis dirimit, cf. *Ewald* l. c. p. 112.

V. 57—60. Ex accentibus triginta sex derivatis tres, quos hoc loco *Bar Hebraeus* enumerat, sine dubio sunt usitatissimae. Modulationes vocum in quavis fere oratione deprehensas, denotant. Signum modulandi fere semper est punctum paulo latius et pinguius, quod diversa nomina accepit a diversis modulandi, quas denotat, rationibus. Dicitur *poqudo* imperans, *m'phisono* preces fundens, *mchavjono* indicans, *qorujo* vocans, *metdamrono*, *m'schalono* etc., *Ewald* l. c. p. 114 sq. *Amira* p. 479. Quid punctum sibi velit et quo nomine sit nominandum, e contextu perspicimus.

1) *Qroito* v. 57—59. ex consuetudine dicitur ܩܪܝܬܐ.

2) *Metdamrono* v. 60 et 61. punctum duplicatum ex

obliquo super initio vocis positum, *Ewald* l. c. sub nr. 22., idem fere significat quod ܥ̣ (retinens, ibidem sub nr. 13.) punctum duplicatum ex obliquo super fine vocis positum. Sed *metdamrono* etiam exprimitur secundum quosdam puncto uno super initio vocis posito, cf. *Amira* p. 479. *Ewald* l. c.

3) *M'schalono* v. 62—65. initio orationis super particulis interrogativis invenitur, *Ewald* l. c. sub nr. 20. V. 62. *Zau'o khasjo* videtur esse accentus *Zau'o*, *Ewald* s. nr. 30. *Super voce* melius *ab initio* sermonis. In libro mnscr. v. 63. punctum *m'schalono* appositum ultimae interrogationis voci, videlicet vocibus ܐܰܢܰܥ̈ܡܪ et ܐܰܚ̈ܦܪ, perperam scriptum est; nam particulae, colorem quasi et modum enuntiationum designantes, modulandi signa in se recipiunt in libris syriacis. Legendum est ܐܰܢ̈ܚ̈ܢ et ܐ̣ܢ̈ܚ̈ܢ. — V. 65. de *tachtojo* interrogandi signo cf. v. 53. Exempla proposita in v. 65. (cf. Joh. 19, 15.) particulam interrogativam, quae sit adminiculum puncti *m'schalono*, non suppeditant, quamobrem *tachtojo*, qui interrogationem, quatenus constituat *τὸν schudojo*, terminat, vices quasi *τοῦ m'schalono* gerere videtur.

Tres accentus *qorujo*, *metdamrono* et *m'schalono* et quattuor *'elojo*, *tachtojo*, *schevajo* et *posuqo* non ejusdem generis et rationis esse primo obtutu quisque videbit; nulla necessitudine sunt conjuncti: ergo concedamus necesse est, grammaticorum syrorum doctrinam de accentibus radicalibus et derivatis, si tres hoc loco commemoratos multosque alios e triginta sex respiciamus, omnino non niti vi accentuum recte cognita et ratione eorum accuratius perspecta, cf. *Ewald* l. c. p. 117. Distinctio, quam statuunt accentuum radicalium et derivatorum est talis ut omnes accentus, qui intra membra majoribus accentibus sejuncta reperiuntur, sine discrimine derivatis annumerent.

8891.

TYPIS EXPRESSIT ERNESTUS AUGUSTUS HUTH.

D Dc 1740

ULB Halle
000 786 233
3/1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-24851/fragment/page=00000159